H. Lit. P.
83r

Bibliotheca Archiv Ol-
dini, num: 605.

H. lit. G.

83

HERMANNI CONRINGII

POLYHISTORIS OLIM HELMAESTADIENSIS

SVPER

REQVISITIS

IN

QVOLIBET STVDIOSO

ACADEMICO LIBELLVS

DENVO EDIDIT

IOHANNES CHRISTIANVS

LEVSCHNERVS

A. M.

SCHOLAE HIRSCHBERGENSIS

PRORECTOR

VRATISLAVIAE

APVD IO. FRID. KORNIVM, SEN.

MDCCLXII.

215

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

ERNESTO FRIDEMANO DE MVNCHHAVSEN

POTENTISS. BORVSSORVM REGIS IN CVRIA VRATISLAVIAE SVPREMA, ET SENATV ECCLESIASTICO, ITEM ET PVPILLORVM COLLEGIO PRAESIDI cet.

DYNASTAE IN HERRENGOSSERSTAEDT ET BENDLEBBEN cet.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

Bayerische
Staatsbibliothek
München

F acturusne audacter nimium videor, quando eo confidentiae deuenio, ILLVSTRISSIME DOMINE, vt inclutum Nomen Munchhusianum libello inscribam, qui tum pro exiguae molis, tum argumenti, levitate indignus tanto in toga Heroe a multis primo intuitu censebitur? Verum enim si quid etiam est forsan confidentiae; veniam tamen esse me lubenter impetraturum, spero; vel quoniam idem libellus Conringianum nomen in fronte habet, summumque suo in orbe virum auctorem agnoscit, vel quia de iis rebus bene, diligenter, humanissime que disserit, quas prorsus, DOMINE, in deliciis habes, et quae TIBI sunt omnium commendatissimae. Et enim non mole soles nec pondere rei cuiuscunque metiri pretium, sed ea potius virtute, qua in se partim excellit, partim et suam vtilitatem ad plures diffundit quam largissime. Ita

vero ſentire magnum, et in primis Munchhuſianum eſt, et eorum praecipue, qui ex conuictu et conſuetudine illuſtris Maſcouuii liberaliori ad tantum honoris et promeritorum et ſplendoris faſtigium adſcenderunt. Quinimo quodmodocunque ad artes ingenuas earum que cultores attinet indefeſſos et dexteriores, id amant Munchhuſii, ſuo que ornant patrocinio, et faventiſſime amplectuntur. Igitur nihil eſt, quod addere amplius et rogare ſubmiſſiſſime malim, quam ut TVO mecum libellum qualemcunque patrocinio complecti gratioſiſſime haud graueris, qui Diuini Numinis gratiam impenſe ac medullitus imploro, vt TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, bonis omnibus iis maximis, quibus humana cenſetur felicitas, cumulatiſſimum eſſe, cum familia illuſtri et ſplendidiſſima, ſeros in annos, ornatiſſimum que iubeat. Dab. Hirſchbergæ d. VI. Id. April. A. R. G. CIↃ IↃCC LXII.

Lectori

Lectori Beniuolo

S.

Conringium quoties cogito, quoties et nonnulla, quorum multa et eximia sunt, eius euoluo, lego que, ingenii monumenta; toties fere incertus haereo, mirarine multiiugem ipsius, exquisitam que doctrinam, an studium deuenerari magis bono publico inseruiendi, acerrimam que iudicandi vim iure ac merito suo debeam? Verum enim quo diligentius tamen eius, a primis pueritiae suae annis, aetatem anquiro, eo certius et iucundius simul intellego, qua vsus educatione prudentissima fuerit, adeo, ut mirari prope desinam, qui reapse tantus euaserit, quantus deinceps cognitus, auditus, lectus que cum stupore,

atque a viris primariis insigniter adamatus, commendatus et maximis ornatus celebratus que passim per orbem cultiorem laudibus inclaruerit. Diuinis enim erat prorsus a natura ditatus ingenii dotibus, quas incredibili mature coepit discendi cupidine inflammatus excolere, tam que luculenter vix quatuordecim annorum puer ostendere, vt in praecocium ingeniorum numero locum, Viris ita censentibus peritissimis, inuenerit 1). Actum autem in praesenti agerem, si de vita ipsius instituerem denuo et copiosius exponere, aut multa, et optimae frugis plena recensere ingenii monumenta, quum opera hac qualicunque super sedere Niceronus 2) Corberus 3), Goebelius 4) et Bruquerus 5) cum aliis 6) lubenter ac prorsus me iubeant. Quando autem libellum eius quen-

1) v. Seelenii V. Cel. Miscellan. T. II. a p. 249 cf. Niceronii Memor. erudit. scriptis illustri. T. XV. p. 215.
2) In Memor. l. c. a p. 214.
3) In Vita, quam Syntagm. Epistol. Herm. Conringii praemisit.
4) Helmaestadiensis Acad. Antecessor nuper. Clarissimus in Vita, quam Operibus Conringii praemisit.
5) Histor. philos. critic. T. IV. §. 1. a p. 324. it. in Templo honoris a p. 159.
6) In his possunt conferri Sarcmasiana a p. 2. it. Fabricius in Histor. Bibliothec. Fabric. T. IV. a p. 202. cet. et T. V. passim.

quendam vtilem, vt opinor, et probae dexteritatis teſtem, protrahere denuo in lucem inſtituo; nihil alienum ab hoc inſtituto me ſuſcepturum fore, arbitror, ſi elogia colligere quaedam potiora mauelim, collecta que, parca fortaſſe adhuc manu, recitare, quae a viris primariis, iisdem que laudatiſſimis, tum antea, tum poſt ſuum e vita exceſſum iure accepit ac promeruit. Spretam enim nullo eſſe tempore operam Pope-bluntii, quam ſimili in cauſſa inſumſit ſtudio, perfecit que 7), quin collaudatam potius ab eruditiſſimo quoque memini; quam ob rem veniam me haud difficulter fore conſecutùrum, ſpero, ſi certe aliqua cupiam incomparabilis viri, et fere ſuo tempore in Germania Phoenicis, e potioribus elogia praemittere. Vt elogiorum vero ſtatim primordia capiamus, Schurtzfleiſchium, quo propius ad Conringii ſimilitudinem accedit, aeternum illud academiae Leucoreae decus, primum excitabimus, qui ad Valterum, Senatus Luneburgenſis primicerium, ita 8) ſuper deceſſu Conringii: iactura quidem

7) v. Niceroni Memor. T. XI. a p. 423, vbi de vita eius exponitur.

8) Scribit in Epiſtol. Arcan. a p. 194.

Conringii, viri ſummi, vehementer affectus ſum, in quo non Iulia modo magnum ingenii lumen, ſed Germania etiam immortale decus, amiſit. Sed nunquam animis hominum, qui litteras amant, aut aeſtimant, excidet viri gloria, quae omnibus in doctrinae partibus tam exquiſita erat, vt vnum praecipue eum haberent exteri, quem mirarentur. Pergit: Iſaacus Voſſius, quo, mea quidem ſententia, vix doctiorem nunc Anglia complectitur, ſic praedicabat merito ſuo Conringium, vt infra eum reliquos omnes haberet, ſapienter que ſic cenſor ingeniorum maximus iudicaret. Lutetiae Pariſiorum effuſe gaudebat Steph. Baluzius cum ſaluum eſſe ex me intellegeret, quin dixit et faſſus eſt, neminem perinde ab ſe aeſtimari, ac Iulium hunc doctorem. Alibi eum Socraticum non minori ſane praeconio appellabant, quippe in quo induſtria et iudicium facere paria viderentur cet. Idem paullo inferius 9): Helmſtadii e vita gloriaeque theatro exceſſit ille ſummus Conringius, cuius obitum non mediocriter doleo — — vir nullis ſaeculis tacendus cet. A Lacroſio deinde, quanto Viro! in litteris ad Theoph. Sigfr. Bayerum

V.

9) l. c. p. 203.

V. Cel. datis legere me haec [10]) aliquando memini: idem ante eum tentauerat et perfecerat vir maximus, Herm. Conringius in aduerſariis chronologicis, libello perquam accurato et erudito. Alibi Baluzium modo laudatum, magnum in Francis virum ſaeculo ſuperiori, eruditiſſimum que, ad Ioh. Schilterum, ducis Vinarienſis ab aulicis conſiliis ſcribere hoc modo comperi [11]): ſi laudaſſes in me amorem litterarum et reverentiam meam erga viros doctos praecipue vero erga communem noſtrum amicum Herm. Conringium. Et paullo poſt [12]): ſcripſeram ea de re libere, vt erat noſtra familiaritas, et vt meus eſt mos, ad eundem Conringium: qui, vt erat natura vehemens et calidus, ſibi temperare non poterat, quum occaſio incideret, ſtringendi ſtilum adverſus ecclesiam, quae Romano nomine gloriatus cet. Neque operam me perditurum fore credo, ſi addere haec velim aduleſcentuli eruditiſſimi, qui pluribus in Academiis cupide ornandorum ſtudiorum cauſſa detineri ſeſe paſſus

10) In Theſ. Epiſtol. Lacrozian. T. III. p. 40.

11) In Schelhornii V. Cel. Amoenitatib. Litter. T. VIII. p. 631.

12) l. c. p. 632.

passus fuerat, fata tamen quem dehinc abstulerunt acerbiora, in quibus ita [13]): Conringii fui consalinus — — didici quoque tamen id, Conringium iucundius et fructuosius legi, quam audiri; saepe enim minori studio se ad discursus publicos in lectionem publicam paravit, saepe fiducia eruditionis, quam omnino habet maximam, aliquid pro auctoritate decernere videtur, aliorum rationes aspernatus. In scriptis autem ipsius magna apparet diligentia et solidissima plerum que veritatis discussio cet. Quid de Conringio senserit I. P. Luduigius, magnum quondam academiae Fridericianae incrementum ipse paucis ita exponit [14]): liber Conringii est, summi Viri cet. Ad Schelhauerum, princeps ordinis sui ornamentum, de Conringii excessu cum inaudiisset Leibnitius ὁ πανυ scribens in aliis pergit [15]): quum celeberrimi merito suo viri Herm. Conringii, soceri tui obitum intellegam, tibi simul et reipublicae litterariae et nostrae Germaniæ condolere debui. Amisimus enim, tu quidem praesidium, nos ornamentum cet. Quin-

13) conf. Select. e Thurmii itinere Litterario apud Schelhornium l. c. T. XI. a p. 275-277.

14) v. Lud. Petri Giouanni Germania princeps p. 33.

15) Leibnitii Epistol. T. I. a p. 177 cf. p. 188. cet.

Quinimo a populis transmarinis, et ab Anglis quidem, parcis alioquin exterorum encomiastis; amplissimae diffusae que eruditionis laude insignitur [16]), qui tanto iudicii acumine, quanto vnquam quisquam aetate sua valuerit cet. Similiter prope a Ven. Buddeo [17]): Vir summi et subacti iudicii, et ab altero Academiae Salanae Theologo praestantissimo: accuratus vt omnis propemodum litteraturae, ita et demonstrationum iudex dignissime laudatur [18]). Honorifice non minus de Conringio et vere ita sentit [19]) Menquenius: vt brevitate sua fabellas et satyras in se prouocavit, ita vasta doctrina laudes maximas et meruit et superauit. In eximio denique opere, quod super historia philosophiae spissum edidit Bruquerus V. Cel. Conringium hoc excitari encomio memini aliquando [20]): magnum illud patriae nostrae ornamentum cet. Verum enim quando finem isthaec esse demum inuentura opinamur, quae breuiter modo praemitten-

16) In biograph. Anglic. T. IV. p. 114. not. (m). Edit. theot.
17) In Select. iuris Nat. et Gentis p. 101.
18) Mich. scilicet Foertschio in Select. Theol. p. 3.
19) I. B. Menquenius in diss. Litterar. n. 18. p. 171.
20) In Histor. philos. Critic. T. III. p. 7.

mittenda huic libello duximus, si plura plurium acquirere studiosius elogia velimus, eadem que hinc et inde collecta huc transfundere? In hisce desinamus igitur vna precati medullitus, vt plura idemtidem excitare ingenia Conringii similia velit Deus, qui, vti rebus omnibus, ita orbi etiam litterario sapientissime prospicit. Longe interea minus tamen ratio erit tandem, cur libellum adhuc laudare ac commendare admodum pluribus annitamur, quum Conringii eiusdem sit, ideoque omnium idem elogiorum instar habeatur. Finem quidem, quem praefixum vtique habemus, satis assecuti videbimus, si qui, libello hoc perlecto, commoueantur, vt meliorem studiorum suorum viam et rationem ineant, aut iniri ab aliis, nonnulli quam diligentissime ac maximopere curent. Scrib. Hirsbergae d. XXVIII. Mart. A. R. G. CIↃ IↃCC LXII.

Q. D.

Q. D. S. V. B. Q.

Annus hodie quartus post tricesimum agitur [1]), quum in hanc academiam puer a parentibus, ab Oceani vsque littore [2]), Studiorum capessendorum gratia, fui missus. Tertius vicesimus est, ex quo itidem hac in incluta Iulia docendae iuuentuti sum admotus. Quartum iam fungor magistratu academico: quem antehac administraui, bis semestri *Exordium dissertationis.*

1) Habita vero est dissertatio, in publica panegyri, die XI mensis Iulii A. cIↃ IↃc Liv. cum Prorectoratum Academiae quartum susceperisset.

2) Summum enim hoc Academiae Iuliae ac perpetuum orbis, quae patet, eruditi decus et ornamentum Nordam, Frisiae Orientalis oppidum satis amplum, patriam habuit et agnouit, editus scilicet in lucem ibi A. R. G. cIↃ IↃ c vi. cf. Niceron. Memor. Viror. vita et scriptis illustr. T. XV. a p. 214; Fabricii Histor. Biblioth. Fabric. T. IV. a p. 202; Lexic. Erudit. T. I. a p. 2059. Quis vero magnum laudari ac celebrari passim Conringium non legit, audiuit, cognouit?

meſtri ſpatio, ſemel per integrum ſeſquiennium. Hoc triginta quatuor vitae in academiis peractae annorum interuallo, haud pauca mihi obſeruata, bona mala, vtilia noxia, cum alia tum quae ad res pertinent academicas, ſi dixero, merito id ſine iactantiae nota fecerim. Forte igitur etiam ſine inuidia et obtrectatione bonorum (malos enim non curo) licuerit de illis verba facere, et ſententiam animi ingenue promere [3]). Verum dabitur aliquando occaſio fortaſſis agendi iuſta id ipſum prolixitate: etiam hodie tamen illius argumenti partem, non niſi exiguam licet, attingam, et quidem itidem leui duntaxat, quod aiunt, brachio.

Propoſitio diſſertationis. Duo nempe cum primis ſunt, quod nemo veſtrum ignorat, quam ob rem ſcholae academicae, quae appellantur inſtitulae et quae adeo ab iis ſunt vnice expectanda. Alterum eſt, vt ingenui adulescentes, iuuenes que, diſcant ea, quae ad reipublicae omnis vſum ſacrum profanum que faciunt: alterum, vt iidem mores ſuos ita componere aſſueſcant, vt adultiores facti idonei ſint, non ſe ipſos tantum regere, ſed alios etiam ad omnis generis virtutem ſuo praeclaro exemplo

3) Et cui profecto datum erat ſapientius talia promere, aut quis rectius debebat, quam Conringius? qui pro ſumma eruditione, vſu verum multiplici, prudentia ſingulari, et ſua ipſius auctoritate in medium quibat omnium optimae praecipere talia et conſulere.

plo incitare [4]). Quo in propoſito nihil vtique niſi ſumma laude dignum occurrit. Sed huius vſque adeo nobilis ſcopi quo fiamus compotes, haud difficile perſpectu eſt, poſtulari quaſi in anteceſſum haud pauca, eaque partim in iuuenum, partim etiam in profeſſorum, quos appellamus, ordine. Atque in profeſſoribus quidem quidnam merito queat deſiderari, alias fortaſſe commodius: in praeſentia quemadmodum, mea quidem ſententia, Vos, o iuuenes, comparati eſſe debeatis, ſi velitis ſperatum academicae vitae fructum carpere, diſſeram ego, idque paucis: nec enim haec ad finem iam properans panegyris patitur longum ſer-

4) Poſſint ad haec facile alia multa neceſſario et vtiliter monenda optimo cuique in mentem incidere, praeſertim vti nunc paſſim ſunt tempora et mores, quibus talia quidem in formandis iuuenum ingeniis parum, vel plane non, curantur. Et ſi forte ſimilia quaedam fieri putes, ſunt iſthaec ſane omnino peruerſa. Contra ſi quis honeſtus, ſi bonus, ſi vſu ſpectatus rectiora ſuadeat, agendaue ſuſcipiat; non deſunt alii, quaſi excitati ſtimulis inuidiae, homines inſulſi et patroni nequitiae, qui nefanda ſuſpicione, conuiciis indecoris et fraudibus quibuscunque, premunt turpiter, imo ſaepe opprimunt, dumque ipſi mederi capiti volunt, et debent, vix reduuiam, vt aiunt, curant. Sed quae huc pertinent, alio fortaſſe die dabitur dicendi ſtudioſius occaſio.

sermonem. Dicam vero nunc duntaxat, qua ratione vos in studiis omnium optime possitis proficere. Quomodo mores vestri, quam rectissime queant formari, alias docturus [5]).

Quatuor requisita in primis sunt necessaria.

Videtur autem mihi, quae ad studiorum fructum percipiendum requiruntur, posse illo quaternario numero fere abunde satis comprehendi, quo iam pridem summus et sciendi et docendi pariter artifex Aristoteles, dotes eorum, quos interioris admissionis habuit in Lyceo suo, auditorum comprehendit. Alias latius ex hoc ipso loco laudaui cum alia, tum etiam illa incomparabilis viri in docendo obseruata instituta: inde editis in publicum dissertationibus rem illam omnem prolixe persecutus sum [6]): eoque nolo nunc illa quidem operose repetere.

Qua-

5) At enim nunc facere huc planissime queunt Ioh. Frid. Christii τȣ μακαρίτȣ Viri, cum esset in viuis nuper, Summi et vere incomparabilis, Libelli duo: de moribus regendis et studiorum ratione in litteris discendis, quibus elegantius nihil, nihil honestius, nihil ad ipsam caussam accommodatius fingi, commendariue vnquam potest, vt viderunt diu et iudicarunt, quorum iudicio in his et similibus fidere modo tutum est; Libelli prodierunt in lucem Liegnitii et Lipsiae A. CIↃ IↃCC LII. 8.

6) Exstant in aliis quae huc pertinent, et quas sine dubio innuit, orationes Conringii duae, qui-

Quatuor vero iſta, quae et ille doctor ſagaciſſimus 7) exegit, quaeue adeo itidem in vniuerſum ego in diſcentibus omnibus, ſi quem velint ex academica vita laborum fructum capere, quam maxime deſidero, ſunt: primo *ingenium*: ſecundo *amor diſcendi*: tertio *Laborioſitas* ſiue φιλοπονία: quarto προπαιδεία, quam haud perperam dixeris elementarem eruditionem. Atque Ariſtoteles quidem, quem ad modum iſthaec habere ſeſe debeant, vt quis poſſit ad ſummam aliquam doctrinae et ſapientiae, adeoque philoſophiae, laudem eniti, laborauit duntaxat: Academiarum igitur noſtrarum vſibus nonnihil aliter haec formanda a nobis fuerint. Eſt ſcilicet academia quaſi emporium aliquod omnigenae doctrinae ingenuae. Perinde ſane atque ad emporium accedunt mercatores, omnes quidem mercandi gratia, aliis tamen haec, aliis illa deſiderantibus, atque adeo alii viliora, alii pretioſiſſi-

quibus titulum fecit: Ariſtotelis laudatio; lucem viderunt Helmaeſt. A. CIↃ IↃCC XXXIII. 4.

7) Ita et ſimili modo paſſim Ariſtotelem laudat Conringius, Vir ipſe laude maxima vbiuis et ab optimo quoque inſignitur. Quare honori profecto contingit hodie Ariſtoteli, ſi quando a ieiunis quibusdam philoſophaſtris naſo quaſi adunco ſuſpendatur, iis ſcilicet, qui omnem philoſophiam ad compendium nuperum barbare inſulſeque ſcriptitatum reſtringunt.

ma mercatum veniunt: ita et qui academias ingrediuntur, omnes quidem propositum sibi habent animi a doctrina cultum: (qui non habent, sane indigni sunt studiosorum et nomine et omni consortio, neutiquam in tam nobili coetu tolerandi [8]) at nec vniusmodi est ille cultus, nec par omnium desiderium, dum alii ad τὰ πρακτικὰ eaque itidem diuersi generis, alii ad τὰ θεωρητικὰ nec illa non multum diuersa, magis curam omnem compellunt. Id quod nemo prudens improbauerit: cum respublica egeat multa variaque doctrina; quam vniuersam [9]) perinde singuli vt assequantur est ἀδύνατον. Taceo: quod, prout nunc mores nostri sese habent, nulla hodie in academiis instituatur docendi ratio, qualis fuit olim Aristoteli ἀκροαματικὴ, et quem in vsum ille isthacc sua quatuor exegit, Gellio

8) At enim si quis norit penitius, quae fieri cum multis soleant in academiis, ideoque non deesse complures, qui partim aliud agendo, partim nihil, imo et turpiter partim agendo tempus omne perdant suum, deque se verum esse id poetae faciant:

Nos numerus sumus et fruges consumere nati;

suspicor profecto haud temere, fore non paucos, quibus possit iure occini hoc:

Quo ruitis? procul hinc procul esse profani!

9) Si fieri tamen queat, cui assequi maxime continget? Vel quis dici saltem assecutus possit? Vix certe Conringio magis alter.

Gellio teſte [10]), ſed omnis diſciplina noſtra Ariſtoteli audiiſſet olim ἐξωτερικὴ. Ac proinde nunc quidem quatuor iſta in quolibet ſtudioſo academico, ſenſu quidem Ariſtotelico, fruſtra quaeſiuerimus.

Praeter quatuor autem illa videtur et quintum aliquod eſſe a nobis addendum; quo in ordine videlicet ſunt computandi *mores ſtudiis doctrinae conuenientes* [11]). Enimuero plurimum quoque intereſſe ſtudiorum, quibus ſtudioſus quisque ſit moribus [12]), *Eſt et quintum requiſitum.*

10) Noct. Attic. Lib. XX. cap. V. a p. n. 528. euius tamen ipſa repetere verba pluribus non malim, quum ab aliis id factum crebro eſſe praeclare meminerim; e quibus I. H. Meibomius in Comment. ad iusiurand. Hippocrat. a p. n. 95. Stanleius in Hiſtor. philoſoph. P.V. c. VI. p. 418; Bruckerus Vir. Cel. Hiſtor. Philoſoph. Critic. P. II. Lib. II. cap. VII. Sect. I. p. 789. cf. Sam. Rachelii Introduct. in Philoſ. Moral. Ariſtotel. cap. X. a p. n. 94; Conringii τῦ παυυ ipſius Introduct. in Politic. Ariſtotel. cap. III. a p. 179; item cum multis, quos laudant Fabricius in Biblioth. Graec. Lib. III. cap. VI. p. 176; et Bruckerus l. c.

11) De quibus certe dici, praecipi ac moneri ſatis nunquam a prudentioribus poteſt; facere tamen huc in primis Chriſtii τῦ χρισοτάτυ libellos modo a nobis laudatos, et omnium optime, non erit ſane, cur dubitem.

12) Hic enim campus aperitur virtutis, et vitiorum, vt ait Camerarius, id eſt, laudis ac decoris

liquido omnibus haud multo poſt patebit. Non enim nunc quidem tempus patitur hoc agere: imo nec cum quoquam licet iam contendere, qui quatuor tantum requirenda eſſe cenſuerit. Quin igitur potius ſtatim omnia iſthaec ordine nunc luſtrabimus: quem ad modum videlicet illa comparata eſſe debeant in ſtudioſo iuuene, rerum quidem ſuarum ſatagente, et tuente nominis ſui dignitatem [13]).

De Ingenio. Ceterum hoc agentibus initium faciendum erit ab INGENIO: quae videlicet eius conditio eſſe debeat ad eruditionis culturam admittendam. Venit autem ingenii vocabulo mihi illa omnis vis, qua et res propoſitae percipiuntur, et perceptae diiudicantur, et vtraeque animo infixae detinentur. Pertinet eodem illa etiam indoles, qua

coris infamiaeque et reprehenſionis, quae appellantur honeſta, recta, officium, et contra, turpia, praua, officii neglectio cet. cf. Thom. Crenius de Eruditione comparanda cet. a p. 169. item huc quae ſpectetur Satyra XIIII. integra Iuuenalis, haud forte indigna videbitur. Ex imprudenti autem morum emendandorum neglectu naſcitur in primis deinde genus hominum, qui ſuſpicionibus, inuidia, fraudibus piis et ſuperbia temere agitati nihil non perturbant.

13) At enim ex multis, ſi calculum hodie velit quisquam ad amuſſim inire, quotusquiſque non erit, qui nominis ſui dignitatem vix, ac ne vix quidem tueatur cet.

qua aut ferimur ad res gerendas, aut a rerum exercitio abhorremus. Eſt vero omnis illius rei ingens diuerſitas. Quisquis ſane omni ingenii facultate deſtituitur, fruſtra doctrinae aliquam culturam ſperat [14]): esſe itaque ille debet omni Academico quidem conſortio [15]). Non, quaſi is, qui ſui ignarus in academiam deuenerit, ſiue ſponte ſiue aliorum miſſu [16]), cum aliqua ſit contumelia eiiciendus. Abſit hoc. Condolendum homini merito eſt. Dimittatur itaque ille, ſed cum moerore aliquo noſtro. Maior cura eſt obſeruanda circa illos, qui aliqua dote ingenii inſtructi ſunt. In aliis

14) Nec pauci tamen ſtudioſorum turbae immiſcent ſeſe, qui nulla re magis, quam ingenii facultate deſtituuntur; neque vtilioris quidquam doctrinae capiunt, et ſi capiant forte pauxillum; in capite cenſis tamen poſthaec et proletariis haerent, et abeſt tantum, vt proſint reuera rei publicae, vt eandem potius maxime onerent.

15) Verum enim qua quaeſo contingere in academia ſolet, vt aduleſcentuli, quorum quisque

Abderitanae pectora plebis habet

iubeantur ex academico quidem conſortio diſcere? Edunt ſane, bibunt et nihil proficiunt, et redeunt finito ſuo triennio. Exeſſe, vt ait Conringius nuspiam omnino iubentur. Sicvbi iubeantur, certe non memini.

16) Vbi ſaepe in cauſſa etiam inepti ſunt parentes, qui non conſultis antea fidis praeceptoribus, imo diſſuadentibus etiam, filios tamen, aſinos mittere in academiam haud erubeſcunt.

enim vis percipiendi, aut etiam nullo monitore aliquid inueniendi, minor quidem est, iudicandi tamen facultas praepollet: in aliis contra sese res habet. Aliis memoria labilior est, aliis abundat. Alii ad res agendas alacres, alii ad actus omnes, et negotia quaeuis torpidi sunt, amantes quietis [17]): Rarissime inuenias ingenium omnibus numeris perfectum. Inuenire tamen est interdum, idque summa quadam et enormi naturae liberalitate [18]).

Qui sunt ita feliciter nati, illis perinde est, ad quae studia ferantur: nec enim ab ingenio vnquam deferentur. Possunt iidem, qua sunt capacitate, per vastos studiorum campos animo excurrere. Ex re tamen fuerit

17) Quorum maxima plerumque pars est, maiori tamen longe fidorum magistrorum cum molestia. Neque hodie demum esse ita incipit; sed quondam etiam eadem audita cantilena est. Vnde in aliis iam suo tempore magnum illud elegantioris litteraturae lumen, I.A. Fabricius de se hoc modo:

Formandae memini tenerae tribuisse iuuentae
Cottidie me horas octo, nouem, atque decem
Egregios quosdam docui, plures mediocres:
Pars magna heu! molli tradita desidiae est,
Quod potui, feci cet.

cf. Reimari Vir. Cel. de vita et scriptis I. A. Fabricii commentar. p. 90.

18) Ingenia haec modo ne sint lubrica, seque duci fideliter patiantur.

fuerit publica, vti illi quam maxime ſeſe dedant iis, quae ab aliis vulgo non facile percipiuntur, ſunt tamen vitae, ſocietatique humanae valde vtilia: aut per omnia quidem nonnihil ſeſe diffundant, vtiliſſimis tamen denique immorentur. Longe aliter autem gerere ſeſe debent ii, qui minore naturae indulgentia ſunt nati: quorum numerus maximus eſt [19]). Enimuero contrahere illi ſpes ſuas debent, nec facile ad εὐδαιμονεςάτων iſtorum exemplum ſeſe componere; quandoquidem diffuſo per omnia ingenio, ſed vbiuis impari, oleum et operam perdent cum aliorum ludibrio [20]).

Ingenium prius exploran-dum eſt.

Igitur ante omnia ingenii vires explorare oportet eſſe.

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent [21]) prius, quam animus ad ſtudiorum

19) Praeſertim ſi torpor acceſſerit, a quo plurimi etiam non procul abſunt, vt fit, plerumque, ſi ſua tractent negligentius.

20) Caueant vero in primis, ne id, quod vel plane non, vel minus recte ac diligenter perceperunt, ſuis deinde calumniis onerent, auſintque aliis melioribus, pro ſua inſcitia, obicem ponere.

21) Horatius de arte poetica p. 39. In promtu ad haec ſunt multa, quae poſſint haud incommode diſputari, quo ſaepius vſu eueniunt; quum perpauci ſint, qui ſemet ipſos inſpicere, vt ait Seneca, ſoleant, et ea dein, quae aggrediuntur. Plus enim ferre nonnunquam ſibi viden-

curam appellatur. Haec autem exploratio duplici modo instituenda. Aut quasi vniuersim videlicet, aut respectu habito ad isthaec doctrinae studia, quae quis prae aliis cupit sectari.

Commune ingenii examen.

Atque in communi quidem necessum est, vt examen instituatur trium illorum [22]), quibus ingenium quasi constare, modo diximus. Quanta nempe *percipiendi*, quanta *iudicandi*, quanta denique *memoriae* sit facultas. Trium scilicet illorum eximia aliqua vis exigitur [23]) in quolibet, qui magistri, siue viua ille voce, siue scripto libro doceat, institutione debet proficere. Vtique enim necessum est, vt possit *percipere* audi-

videntur posse, quam possunt, quamuis, eodem recte monente, plus esse virium in latere, quam in onere debeat; cf. Seneca de Tranquill. animi cap. IIII. p. 527. et cap. V. p. 529. Vnde istud deinde accidit, vt, quidquid non capiunt, temere insciteque carpant.

22) At quotus eorum quisque est, mentem qui addicere studiis vulgo solent, qui suas anquirere ingenii dotes antea velit prudenter, seque metiri non nunquam pede ac modulo?

23) Iure profecto eximiam trium eorum, quae possint modo, vim requirit Conringius, et intelligenter; quoniam nisi ea instructus accesserit quisquam, ob immensam discendorum copiam, vix spe potietur sua feliciter, sed incussum potius laborabit.

auditor ea, quae docentur [24]). Requiritur autem quoque, vt possit isthaec ipsa *iudicare* [25]). Et vero idoneus magister docet non nisi adhibitis siue rationibus siue testimoniis: auditoris vero est posse iudicare, num testimonia sint fide digna, et num rationes propositae sufficiente probandi pondere valeant [26]). Hoc sane nisi possit auditor, quasi psittaci ritu proficere quidem valet [27]), ad solidam vero aliquam doctrinam nunquam perueniet. Eavtique caussa negauit olim Aristoteles, iuuenem Moralis philo-

24) Geminum vero hic obstare impedimentum potest, alterum a natura, eam si forte nouercam quisquam expertus fuerit; alterum si quis iis litterarum praesidiis careat, tanquam ansis, sine quibus iusta et felicior nequit percipiendi adesse vis ac locum habere.

25) At quae poterit vis esse iudicandi vera et idonea et tuta, si quis rerum antea cognoscendarum ideas recte haud perceperit, neque ipsam habere percipiendi vim, ob impedimenta modo iudicata quiuerit?

26) Scite ac sapientissime; sed quot sunt, id qui sumere sibi vere queant, nec crebro errandi, seque ideo decipiendi periculum subeant?

27) Et vereor profecto, ne plures sint omni tempore futuri, qui psittacos, quisque in caussa sua, maximopere agant; nuspiam tamen plures forte, quam in iis suspicor, imo memini, aduleſcentulis, qui sectari magistrum quendam super compendio philosophico solent, qui rigide omnia demonstrare sese, ac velle saltem demonstrare, iactitat.

philoſophiae eſſe vndequaque aptum auditorem: quia nimirum per aetatem iudicandi philoſophica iſthaec facultate deſtituitur [28]). Philoſophiam inquam, non autem quamlibet moralem doctrinam. Memoria porro in quolibet ſtudioſo ſaltem tanta requiritur, vt quae didicit firmiter animo poſſit comprehendere [29]). Fruſtra ſane didiceris, quod illico pereundum eſt, adeoque nulli poteſt eſſe vſui.

Ad iudicandi porro vim haud iniuria referenda videtur illa natiua dos, quam Ariſtoteles [30]) ἀγχίνοιαν appellat, definiturque εὐσο-

28) Nec temere; vti viri etiam eruditiſſimi prudentiſſimique ſuper eadem ſe intellegenter ſaepius monuerunt; fieri enim ſubinde animaduertimur vt inſulſi eiusmodi morum arbitri rem omnium grauiſſimam illotis prorſus, vt aiunt, manibus inuadant.

29) Non inſcite ideo eloquentiae ille Romanorum parens: memoria, inquit, eſt germana litteraturae quodammodo, et in diſſimili genere perſimilis. Nam vt illa conſtat ex notis litterarum, et ex eo, in quo imprimuntur illae notae: ſic confectio memoriae, tanquam cera locis vtitur, et in his imagines, vt litteras collocat. cf. Partiti. Orator. p. n. 414. in aliis autem cf. huc Thom. Crenius de erudit. comparanda a p. 302. et Dauid Clerici Orat. Amſtelod. A. CIↃ IↃC LXXXVII. a p. n. 144. cet.

30) Analyticor. poſterior. Lib. I. cap. XXVII. p. n. 572. cf. Ariſtotelis ad Nicomach. Lib. VI. cap. VIIII. p. n. 253.

εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. Qua ſcilicet inſtructus ſubito rei alicuius cauſſam poſſis coniiciendo aſſequi[31]). Etſi autem pereximia haec ſit ingenii virtus, quique adeo illa eſt praeditus, merito laudem felicis ingenii et εὐφυίας mereatur; rarior tamen eſt, adeoque in ſtudioſo quolibet non requiritur. Vbi tamen obſeruatum fuerit, quemquam illo acumine, illaque celeritate ingenii per liberalitatem naturae eſſe praeditum, merito de illo ſumma quaeque fas eſt polliceri; cetera modo, quae ad eruditionem capeſſendam requiruntur, ille hactenus felici, vt ita loquar, natus ſidere iuſta diligentia adhibeat. Saltem itaque inquirendum fuerit, quantum huius ἀγχινοίας aliquis litteris operam daturus naturae beneficio ſit conſequutus: vt iuſta poſſit futuri profectus exiſtimatio circa quemlibet inſtitui.

Praeter commune autem illud ingenii examen eſt porro et ſpecialius aliquod exercendum: vt quidem iuuenis laborum fructum certo ſibi poſſit expectare. Eſt nimirum ſtudiorum ingens diuerſitas: atque adeo et ingeniorum poſtulatur differens conditio, *Examen ingenii ſpecialius.*

31) Legere me non ita pridem elegantiſſimum programma Car. Lud. Baueri Vir. Cel. memini, de quo fautore amiciſſimo mihi maximopere gratulor, vbi multa intellegenter praecipit, quae huc, vt opinor, planiſſime faciunt.

ditio, pro differentia varia ſtudiorum. Sic iam olim magnus ingeniorum cenſor M. Tullius in Scauro et Rutilio [32]) non ingenium quidem omnino, oratorium tamen ingenium deſiderauit. Et pridem ante illum Socrates, Glaucum nobilem adulescentem Atticum [33]), etſi rei publicae gerendae cupiditate ad inſaniam vſque flagraret, a ciuilis doctrinae ſtudiis repulit, Charmidem vero et Theaetetum ad eadem ille excitauit imo accendit [34]). Diximus iam tum ante non nihil, quanta ſit varietas ingenii facultatum, idque ratione ſiue percipiendi, ſiue iudicandi, ſiue memorandi: ſimul quoque indicauimus, *τὴν αγχίνοιαν* raram eſſe naturae dotem, ſolos quoque illos, qui vndique perfecto ſunt ingenio ad quaeuis ſtudiorum genera admitti poſſe, imo illos ſolos eſſe aptos accuratiſſimae capiendae doctrinae. Eſſe autem et doctrinae ſiue eruditio-

32) Reſpicit hic ſine dubio ad ea Conringius, quae Cicero differit, ſuper Scauro et Rutilio et alibi et maxime in Bruto ſiue de Claris Oratoribus cap. XXVIIII. p. n. 273.

33) Vel Glauconem fortaſſe rectius, vtpote qui Xenophonti, Laertio et aliis dicitur *Γλαυκων*; vid. Diog. Laertius de Vit. Philoſophor. Lib. II. cap. V. n. 12. p. n. 163. item Xenophon. Memorabil. Socrat. Libr. III. cap. VI. a p. 126. Edit. Erneſt. cf. Stanleius in Hiſtor. philoſophor. P. III. cap. XVII. p. 190.

34) Eiusdem rei faciunt mentionem Diog. Laertius l. c. et Xenophon, l. c. cap. VII. a p. 131.

ditionis perquam magnam diuerſitatem; nemini non pridem eſt compertum. Hinc vero manifeſtum quoque eſt: et notum eſſe oportere, quale ingenium vnumquodque ſtudiorum genus poſtulet, et prius quam vel huic vel illi doctrinae animum applices, inſtituendam eſſe accuratam doctrinae pariter et ingenii comparationem [35]). Enimuero cum eruditio alia ſit Theoretica, alia Practica, alia et ποιητικὴ ſiue operatiua, vt in artibus, aliae atque aliae ingeniorum dotes ſtatim exiguntur. Sunt autem et Theoreticae et Practicae diſciplinae, vt et artes, diuerſae admodum conditionis. Alia nimirum ſunt multum remota a vulgari hominum notitia, alia obuia magis et faciliora,

35) Atque ita ſua iam aetate intellegenter cuidam Lubecenſi Eraſmus, ingens bonarum litterarum incrementum: hoc quoque ad me perſcribas velim, cui vitae generi filium tuum deſtinaris, et quibus potiſſimum litteris imbui placeat. Finis enim vnaquaque in re praefigi debet, ad quem omnia tanquam ad ſignum conferantur. Nam quamquam omni quidem litterarum genere pueri ſint inſtituendi, refert tamen, quo ſua ſtudia deſtinent cet. conf. Eraſmi Epiſt. p. n. a p. 105. Duplici autem modo hic plerumque a non paucis peccatur valde; partim quando ea ſectantur ſtudia, quibus ingenium, quod nacti ſunt, et omnis eius diſpoſitio repugnat; partim quando nulla ordinis habita ratione, in rebus diſciplinisque addiſcendis per compendia deerrant, et more tractant nihil non tumultuario.

liora. Horum igitur priora vt ingenium acrius expoſcunt, ita poſterioribus addiſcendis ſatis eſt ingenium mediocre. Quaedam vt reapſe exerceas, vim magnam memoriae expoſcunt: qualia ſunt linguarum, oratoriae tum ſacrae tum profanae, Cauſidicinae, artis medicae, Politicae et ſimilia ſtudia. De ingenio eius qui ciuilem philoſophiam ſiue addiſcere duntaxat, ſiue etiam velit exercere, et quidem per varios gradus, iam tum egimus nos latius alibi: quae igitur hic repetere haud fuerit pretium operae. Haud multum vero diſpar eſt ratio ingenii etiam eorum, qui Artem velint Medicam facere. Nec quid nunc dicam de ſingulis aliis ſiue Scientiis, ſiue Artibus, ſiue et Prudentiis. Pandit ſane heic ſeſe mihi latus differendi campus, de omni illa ingeniorum, ratione habita diuerſitatis ſtudiorum, multiplici differentia: ſed non patitur inſtitutum, et haec ipſa Panegyris pro dignitate argumentum hoc nunc quidem proſequi. Imo vero qui vtilem adeo imo neceſſariam operam fuerit exſequutus, equidem noui neminem [36]).

Solus

36) Verum enim multa egregie prudentiſſimeque, poſt ea tempora, praeceperunt ſuper hac cauſſa homines eruditionis laude maxime conſpicui, quae tum in libellis peculiaribus, tum inter alia vtilioris doctrinae capita, quae tractarunt, paſſim diſceptata et explicita dederunt. Atque vt ex pluribus quosdam certe nomina-

tim

Solus ſane, quod equidem ſciam, docere hoc aggreſſus eſt Ianus Huartes, homo Hiſpanus, et quidem lingua duntaxat Caſtellana, etſi poſt non nemo librum illum Latine verterit [37]). Non equidem induſtriae et cona-

tim laudem, huc in primis mea quidem ſententia, merentur conferri Morhofius in Polyhiſt. Litterar. Lib. II. cap. I. ſeqq. a p. 349. Heumannus Venerabile Gotting. Academiae decus, Act. Philoſ. P. IIII. a p. 567. vbi de ingenio philoſophico diſſerens et alia cognitu digna diſquirit; I. Franc. Buddeus, Theologus Incomparabilis, in diſſ. ſpiſſa et frugis optimae pleniore: de Cultura ingenii, quae Select. Iur. N. I. G. a p. 295. ad 440. inſerta legitur, et quam legiſſe huc et contuliſſe poenitebit, vt opinor neminem; Samuel Frid. Veitzmannus in diſſ. de ingenio ad philoſophandum nato; Ienae 1721. quae vti eleganter eſt eruditeque ſcripta; ita operam nemo quam huic perlegendae tribuit, perdidiſſe ſibi videbitur cet. cf. et Fab. Toerneri poteſt diſputatio de ingenii humani varietate; Vpſ. 1720.

37) Fuit is quidem Ianus Huartus, medicus, qui poſt medium ſaeculi ſexti decimi floruit, cuius liber ex Hiſpanico in Latinum ſermonem conuerſus Lipſiae prodiit A. CIↃ IↃC XXII. 8. ſub titulo: Scrutinium ingeniorum cet. cf. Morhofius in Polyhiſt. Litter. T. II. L. II. c. XXXXVII. p. 477. et a p. 487. Neque pretio tamen ſuo prorſus caret, vt vt non pauca deſiderare Conringius forte aliquis in eo potuerit, et nonnulla ſub cenſuram vocare Anton. Poſſeuinus. Laudatur ſaltem etiam a Viris doctiſſimis, no-

conatibus viri quidquam detraxerim: saltem enim conatus nomine meretur suam laudem. Iam tum vero acrem animaduersorem inuenit Antonium Possevinum, Iesuiticae Sodalitatis virum celebrem [38]), non nisi in perquam paucis tamen; longe plurima autem quilibet intellegens desideraverit. Fortasse dabitur nobis occasio argumentum hoc iusta cum cura tractandi; sed nunc ad alia est pergendum.

Dotes ingenii quemadmodum augeri queant.

Prius tamen quam ab ingenii consideratione abeamus, non possumus non monere, dotes illas ingenii, quae doctrinae capessendae inseruiunt, deberi quidem potissima omnium ex parte naturae beneficio, atque adeo, vt ita dicam, radices earum vnice ferendas acceptas naturae; attamen cultura assidua et idonea, posse plurimum crescere [39]). Et vero quod ad memoriam attinet, paene incredibile est dictu, quantum accedere illi soleat, per mnemonicae artis [40]), quam

minatim a Buddeo l. c. a p. 367; Heumanno l. c. a p. 625; Veitzmanno l. c. p. n. 24. cet.

38) De cuius vita et scriptis, praeter alios plures, exposuit Niceronus in Memor. viror. vita et script. illustr. T. XVI. a p. 289.

39) Atque istud docuisse quidem egregie loco et libello citato mihi videtur ὁ πανυ Buddeus.

40) Si quis instrui de hac vberius diligentiusque cupiat, eum posse consilii haud poenitere arbitror, si Morhofium velit in Polyhist. Litterar.

quam vocant, ſubſidia. Sed et eſt nemini facile ignotum, crebro ſi quid memoriae mandetur, ſolere ſolo iſthoc exercitio vim memoriae augeri quam feliciſſime [41]). Exercitio praeterea frequente reddimur vtique magis magisque apti ad ea, quae docentur ab aliis percipienda. Quam maxime autem acuit iudicium, et illam laudatam nobis ἀγχίνοιαν (quae, in actu ipſo rerum, ſi occupata fuerit, ſolet Ariſtoteli δεινότης [42]) et σύνεσις [43]) appellari) peritia primario quidem, demonſtratoriae ſecundario autem et dialecticae artis; qualis quidem vtraque ab Ariſtotele traditur: fateor enim, vulgarem vtriusque artis tractationem non perinde multum prodeſſe. Quin imo et quae idem Ariſtoteles in Rhetoricis docuit de inuentione probabilium argumentorum nouiſſe, multum adiuuat ingenii, circa inuentio-

 nem

T. I. Lib. II. cap. VI. a p. 299. conſulere; conferri etiam Crenius l. c. poteſt a p. 302; exſtant deinde Beyeri et Poſneri diſſertationes ſuper hac cauſſa ſingulares.

41) Atque id eſſe prae ceteris omnibus iuuandae memoriae adminiculis commendandum maximopere, vſu et experientia edoctus credo.

42) Ariſtoteles enim Nicomach. Lib. VI. cap. XII. p. n. 262. ἔστι δή τις δύναμις, ἣν καλοῦσι δεινότητα· αὕτη δέ ἐστι τοιαύτη, ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκοπὸν συντείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν λ.

43) De hac videri ea itidem queunt, quae Ariſtoteles l. c. cap. X. a p. 256. diſceptat.

nem et iudicium, promtitudinem. Longe maxime autem iſthaec omnia iuuare ſunt apta ingenii dotes iſtas, ſi crebro exercitio quaſi in actum deducantur. Quae omnia tamen quem ad modum effici quam commodiſſime poſſint, nunc quidem non licet commemorare. Vt proinde iam ad ſecundum ſtudiorum requiſitum ſit nobis progrediendum.

De Amore diſcendi. Alterum vero Studioſi Academici requiſitum, diximus eſſe *Amorem diſcendi* ſiue *Φιλομαθίαν*. Et ſane neceſſario requiritur in Studioſo quolibet diſcendi quidam Amor [44]). Saltem enim ii, qui quaſi auerſo ſunt a ſtudiis animo, imo et quibus otium [45]), voluptas, aut quod aliud vitae negotium,

44) Etenim rectiſſime Iſocrates ad Demonic. p. n. 5. *Ἐὰν ἦς Φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής.* Siue vt alio memini loco me legere: *μηθὲν ἂν μᾶλλον τῦ Φιλομαθοῦς πρὸ ὁδῦ γένοιτο ἐς τὸ πολυμαθές.* Illud vero Iſocrateum egregie illuſtrat more ſuo, et eleganter eruditiſſimeque inſtruit et exornat e dictis et ſententiis veterum ſimilibus Hier. Volfius a p. n. 137, quem conſuluiſſe operae inſumtae facile pigebit neminem.

45) Turpe ſcilicet otium et ignauum. Res autem in multis ſe ita omnino habet. Et pars eorum exigua non eſt, qui ſtudiis amplificandis, vel nihil, vel parum certe temporis operaeque in academiis tribuunt, et a quibus reipublicae damnum facilius, quam commodum et vſus paratur.

gotium, prae ſtudiis placet, fruſtra in Academiis terunt tempus, ideoque nec temere ibi ſunt tolerandi: cum vt rectius alibi forte ſibi conſulant, tum ne cui meliori Academico intempeſtiua ſodalitate noceant, vel ſint etiam moleſti. Non profecto quidquam in academiis profeceris, niſi animus impetu quaſi quodam ad diſcendum feratur [46]). Et vero in ſcholis triuialibus, quas appellamus, verberibus aliisque animaduerſionibus ſiue torpor, ſiue neglegentia iſthaec ſolet nonnullis excuti [47]): quoniam in Academiis tamen iſtis caſtigationibus non amplius eſt locus, igitur oportet, vt ſponte vnusquisque ſtudioſorum academicorum liberali quadam diſcendi cupiditate ſit inſtructus.

46) Id quod eſſe autem in genere verum, quis facile vnquam peritus negauerit? Qui ad diſcendum enim eximiam voluntatem attulerit, ſtudium et ardorem quendam amoris, ſine quo ne in leuiſſimis quidem rebus, quod expetet, quisquam aſſequetur: qui denique certo conſtantique ordine diſciplinarum quaſi ſpatia inſtiterit, poſſe eum doctrinam aſſequi cet. dicit intellegenter Romul. Amaſaeus Orat. p. 164.

47) Sed ſcribit Camerarius de non nemine: de N. ſtudiis perquam bonam ſpem habeo. Nam et diſcere eum diligenter, et ſectari occaſiones diſcendi, animaduerti. Scis autem haec tempora eſſe eiusmodi, vt niſi quis faciat ſponte officium ſuum, diſciplina non multum proficiat cet. Haec Camerarius Epiſt. Lib. III. p. n. 217.

Quo vehementior autem vel remiſſior illa cupiditas fuerit, eo plus aut minus commodi ex ſtudiis licet expectare. Enimuero quos Plato dixit olim ἐροτικῇ μανίᾳ doctrinae affici, illi omnibus anteferri merentur, praeſertim ſi et reliqua ſtudiorum requiſita haud deſiderentur.

Amor diſcendi debet eſſe diuerſus pro ſtudiorum diuerſitate.

Quantumuis vero in vniuerſum nunquam a ſtudioſo amor diſcendi debeat abeſſe: non tamen etiam ſic inſtructum eſſe ſatis eſt ad ſpem iuſti ſtudiorum fructus. Cum ſcilicet doctrinae genera ſint multum varia, nec fieri poſſit, vt ſtudioſus quisque in omnibus aeque proficiat, vel etiam vt ex re ipſius ſit promiſcue quiduis velle addiſcere, neceſſarium eſt, vt φιλομαθία ſit probe conſentanea illis ſtudiis [48]), quae tractari commerentur, vtque ita in gyrum ſit aliquem certum ſapienter redacta.

Non ſemper propenſioni iuuentutis fidendum.

Et quidem ex vulgo haud pauci ſunt in ea ſententia, vnicuiuis permittendam eſſe liberam ſtudii alicuius eligendi facultatem. Ceterum nec ego ſuaſerim, appelli animum a quo ſtudiorum genere plane abhorret: quia

48) Namque eſt φιλομαθεια, vt ait etiam Volfius l. c. p. 137. quae rectius curioſitas appellatur, et inanis occupatio πολυπραγμοσύνη καὶ ματαιοτεχνία τις ἄσα καὶ περιεργία λ.

quia nempe hic etiam locum habet illud Horatii [49]):

Vt nihil inuita dicas faciasque Minerua.

At vero, nec ſemper deſiderio aduleſcentis cuiusque erga hoc, aut illud, ſtudiorum genus eſt obſequendum. Saepenumero videlicet amor ille non eſt rectae rationi conſentaneus; ſed fertur in ea interdum, quae nec per ingenii vim nec per fortunam potes aſſequi; quin imo interdum in noxia, interdum in ea, quae tractare non permittit vitae tuae, aut natalium, conditio. Haud me fugit, eſſe nonnunquam animorum aliquam inclinationem ad varii generis ſtudia, eamque foueri quandoque diuiniore quadam, aut tacita certe naturae agitatione. Nec ergo huic quidem propenſioni, niſi vrguentibus de cauſſis, temere fuerit reluctandum. Verum hoc rarius contingit: et quandoquidem amor ille a voluntate noſtra proficiſcitur, ideo plerumque haud difficulter flecti poteſt in alia et diuerſa ſtudia. In quam autem partem moueri animus debeat, hoc vero committendum videtur ſolis iis, qui valent prudentia, neutiquam vero incautae aduleſcentiae [50]).

49) Ad Piſones de Arte Poetic. vſ. 385. Quod idem, quid ſit, Cicero explicat intellegenter de offic. Lib. I. p. n. 484.

50) Atque ſuper hac quidem cauſſa non temere multa eſſent profecto monenda et cautius fortaſſe

Quomodo coërcendus animus eorum qui practicis ſunt ſtudiis dediti.

Quoniam vero ita eſt comparatum cum humano ingenio, vt quia ſtudiorum theoreticorum et negotioſorum ingens ſit diuerſitas, ac rariſſime vnus aliquis vtrisque ſtudiis rite exercendis ſit idoneus, hinc delectus fuerit inſtituendus, vtque ſaltem illi, qui in negotioſae vitae vſum ſunt inſtituendi, magno τῶν θεωρητικῶν amore non afficiantur. Pertinet huc ſane id, quod de Iulio Agricola, ſocero ſuo, refert Tacitus. *Memoria teneo*, inquit [51]), *ſolitum ipſum narrare, ſe in prima iuuentute ſtudium philoſophiae ac iuris* [52]), *vltra quam conceſſum Romano et Senatori, hauſiſſe: ni prudentia matris incenſum et flagrantem animum coërciuiſſet. Scilicet ſublime et erectum ingenium pulchritudinem ac ſpeciem excelſae magnaeque gloriae vehementius, quam caute, appetebat; mox mitigauit ratio et aetas, retinuitque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum.* Haec ille. Quae ciuilis autem negotioſae vitae eadem eſt ratio, et illius, quae artibus exercendis ſe conſecrauit: etiam nimirum et

taſſe diſpicienda hodie in primis, cum adoleſcentulorum partim, partim et parentum ſaepe imperitorum culpa inſipienter peccetur, et fiant longe plura imprudentiſſime.

51) Scil. in vita Iulii Agricolae cap. IIII. p. n. 469. Edit. Erneſti.

52) Philoſophiae acrius cet. legere ſuadet Erneſtius ὁ πανυ et, ſine dubio, vere.

et artes sectantium coercendus est animus a dulcedine et amoenitate contemplationum.

Ex aduerso tamen quibus theoretica praeplacent, his nihil obstat, quo minus et artes quasque, et practica quaeuis addiscant, sed sciendi caussa, non autem exercendi. Imo vero si ingenii vires suppetant, nullum temere studium, qualecunque etiam sit, ab iis non est amandum; quo veritatis fiant compotes. Quapropter etiam Aristoteles in philosophiae auditore haud contentus fuit φιλομαθειαν [53]) requirere, sed exegit simpliciter φιλαληθειαν, quod longe plus est. Id quod pro dignitate hic persequi tempore itidem prohibemur. Ad tertium igitur requisitum iam faciemus accessum. Tertio autem loco diximus postulari ab omni

Philosophiae studioso multum est indulgendum.

Qui cupit optatam studii contingere metam [54]) *Laborum tolerantiam* siue potius φιλοπονίαν

De Laborum amore.

53) At enim inquisitio et explicatio et studium veri hominis fere proprium est, vt ait Cicero; et idem alibi quaerendo instat deinceps: dialecticam inuentam esse dicitis veri et falsi quasi disceptatricem et iudicem cet. Academicar. Quaest. Lib. IIII. cap. XXVIII. p. n. 33. Imo si quis est, qui studio veritatis haud tenetur, vix dignus sane is erit, cui locum inter homines quidem, nedum inter homines philosophos concesseris.

54) Praeeunte scil. Horatio ad Pisones de Arte Poetic. vs. 412.

aliquam. Nec vero haec ſemper comitatur ſtudiorum amorem. Multi enim ſatis auidi quidem ſunt doctrinae: at prae laborum taedio cupitis nunquam fruuntur. Nec tamen eſt quod quis ſibi eruditionem polliceatur ſine inſigni labore [55]), quantumuis ingenii valeat celeritate. Ita nimirum ſeſe res habet: cum varia ſit doctrinae atque eruditionis vniuerſae ratio; leuior alia et proletaria comparari poteſt ab eo, qui ab ingenio eſt feliciter inſtructus; etſi non adeo multum laboret. Neque illam tamen, quamuis ingenioſus, aſſequaris in otio, aut aliud agens. Doctrina vero magis ardua longe plus laboris poſtulat [56]). Si variam diffuſamque complecti deſiderium eſt, labor plurimus fuerit ſubeundus. Hinc qui prae aliis laudem eruditionis conſequuti ſunt, non

55) Hic igitur aeque verum eſt ſaepius, quod animaduerto, alia in cauſſa, ſapienter praecipere Homerum, ingenii et litterarum Graecarum principem, veluti eundem nuper collaudat Erneſtius Lipſienſis Academiae lumen et ornamentum maximum in praef. elegantiſſimae, quam curauit, editioni praemiſſa; quando ita ſcilicet ιλ. β. vſ. 24. et 61.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βυληφόρον ἄνδρα.

56) Poterunt huc in aliis non incommode conferri duae diſſertatt. bonae frugis pleniores et eruditae, quas ſuper φιλοπονιαι eruditorum, Dan. Frid Ianus, Lipſiae A. CIↃ IↃCC V. publici iuris fecit, eque philoſophorum cathedra defendit.

non ſola ingenii profecto celeritate floruerunt, ſed iidem fuere φιλοπονωτατοι: quod infinitis exemplis docere in promtu eſt. Sed quid iis opus? quum vſus doceat quotidianus, quemlibet doctiſſimum eundem et laborioſiſſimum eſſe: quantumue a labore alienus quis eſt, in tantum etiam ab arce doctrinae abeſſe remotum. Si duo, fateor, inter ſe contendant ad eandem doctrinam aſſequendam, tardo alter, alter expedito ingenio, breui temporis ſpatio perueniet hic, quo alter non niſi ſero enitetur. Attamen perquam turpe eſt, hominem ab ingenio valentem non etiam multum ſuperare eum, qui eſt tardior, quum vtique id poſſit haud difficulter. Sed et fieri poteſt, vt tradior[57]) aliquis improbo labore multum vincat illum, qui ingenii bonitati confiſus aut otio ſeſe dedit, aut eſt pigrior. Et vero cum vetus tum noſtra etiam haec aetas haud vnum praebuit doctrina multa praecellentiſſimum: idque

57) Quae in genere ὀψιμαθειας vis, eam euoluit praeeunte Theophraſto, et explicuit Dan. Vilel. Mollerus in diſſ. ſingulari, quae lucem Altorfi vidit A. CIↃ IↃC LXXXXIIII; conferri huc tamen in primis Morhofius meretur in Polyhiſt. T. I. Lib. II. cap. I. a §. 44. p. 357, vbi ſic in aliis pergit: Tarda ingenia, quae quidem non celeriter comprehendunt, ſed iudicio pertinaci rebus immorantur, atque adeo aſſiduitate ſua, praecipue ſi quaedam illis ſagacitas iuncta ſit, iſtorum celeritatem ſaepe anteuertunt.

idque non tam celeris ingenii quam assidui laboris beneficio [58]). Quae omnia qui mecum perpenderit, non poterit profecto non fateri, omni omnino studioso doctrinae, nisi tempus, operam et sumtus velit perdere, ad doctrinae cultum capessendum opus esse assiduitate ac diligentia, nec sine illa posse quem solidi fructus quidquam sibi polliceri [59]).

Quod si porro respiciamus studiorum variam conditionem, saltem illa, quae in actum deduci debent, qualia sunt studia artium, interque eas Medicinae cum primis, studia item omnia practica, sacra et profana, multum exigunt laborem, si operari placeat. Interest igitur, vt saltem horum studiorum aemulator assuescat laboribus suis, et ab otio fiat alienus. Si sane vitam Academicam iuuenis inerte otio transegeris, ad munia Rei publicae et Ecclesiae, vti et ad artes faciendas, iam adultior vix eris idoneus [60]). Non certe ita eris aptus, atque

58) Facile foret, complures eruditione insignes viros nominatim recensere, si caussa isthaec non esset partim ab aliis occupata.

59) Res omnino ita se habet. Interea dolendum maximopere, quis negat, esse, si complures viderit admodum neglegenter sua tractare studia.

60) Rem sane ipsam loqui Conringium, experientia luculenter testatur in iis, qui muneribus deinde, quibus praeesse iubentur, vel pror-

que ſi iuuentutem quoque ipſam vtili labori impenderis [61]). Et vero eſt quidem et naturae dos ἡ φιλοπονία; niſi tamen reapſe opereris, in deſidiam facilis prolapſus fuerit [62]): gnauó autem exercitio dotem naturae plurimum auxeris.

Quin igitur Academicum ſtudioſum eſſe laborioſum oporteat [63]), non profecto eſt dubitandum.

Proximum eſt vti agamus de quarto requiſito: quod nos haud dubitauimus, collocare in notitia ſiue τῆς προπαιδείας, ſiue *Elementaris cuiusdam doctrinae.* Non diſputabimus, hoc loco, quid Ariſtoteli iſthac προπαιδείας appellatione venerit: praeſertim quia hoc praeclare exſequuti ſunt Nunneſius

De Elementari doctrina.

prorſus non ſolent, vel non ita certe ſolent, vti debebant, ſatisfacere.

61) Atque id ipſum in paucis iis omni tempore compertum eſt, et adhuc verum comperitur, qui a tenera ſtatim aetate ſunt laboribus ferendis prudenter aſſueti.

62) De qua re profecto exempla, horum ſi velis numerum inire, facile occurrere ſexcenta queant.

63) Praeſertim ſi quis habitare ibidem prudentius ſoleat, ac penſitare diligenter, quae ac quanta ſint in ſua cuiuis arte diſcenda. Dolendum tamen eſt maxime, curam eandem eſſe non paucis in Academia ſtudioſis minimam.

neſius [64]), Scherbius [65]), Piccartus [66]) atque alii. Et vero cum Ariſtoteles egerit tantum de iis, quae philoſophiae quam accuratiſſime diſcendae requiruntur, haud dubie ad ſola philoſophiae iſta parandae neceſſaria adminicula reſpexit. Praeter autem philoſophiam omnis omnino doctrina ſuam communem aliquam προπαιδείαν habet, et ſingulis ſcientiis atque artibus quaedam eſt propria. Cum nos igitur hic inſtruamus quemlibet Academicum ſtudioſum, reſpiciendum nobis fuerit non ad ſolius accuratioris philoſophiae vſum exemplo Ariſtotelis, ſed ad id, quod et vniuerſim omnia et ſpeciatim cuiuis ſtudiorum generi eſt neceſſarium. Id quod tamen nunc quidem, prout exigit argumenti dignitas, plene expediri a nobis non poteſt; tantum igitur quaſi digito fontes

64) Eſt is Petrus Ioh. Nunneſius homo Valentia Hiſpanus, qui circa exitum ſaeculi ſexti decimi profeſſor in Academia Barcinonenſi inclaruit.

65) Magnus quondam Academiae Altorfinae, circa exitum nempe ſaeculi ſexti decimi profeſſor et defenſor philoſophiae Ariſtotelicae aduerſus Ramaeam acerrimus, quem in aliis vel eximie laudat Gaſp. Schoppius ſuſpectar. Lect. Lib. I. p. 43; cf. ab Elſwich. de Varia Ariſtot. in Schol. Proteſtant. fortuna a p. n. 60.

66) Mich. ſcil. Piccartus inclutus circa initium ſaeculi ſuperioris in Altorfina itidem Academia profeſſor, et tam philoſophiae, quam hiſtoriae percelebris cognitione.

tes monſtraſſe, et ſummatim propoſuiſſe nonnulla, quae iſthuc faciunt, hac vice ſatis fuerit.

Igitur elementarium, vt ita loquar, omnium maxime communis haud dubie eſt peritia eius linguae, qua doceri ſolent potiora quaeque μαθήματα. Omnis nimirum doctrina ſermonis vſu inſtituitur, ſiue viua id fiat voce, ſiue ſcripto. Iam autem, prout noſtri quidem ſunt mores, Latina lingua docentibus eſt longe familiariſſima [67]). Saltem itaque huius peritia afferenda eſt [68]), quo

Peritia linguae Latinae inter elementares doctrinas maxime eſt omnibus communis.

67) Noſtra vero aetate non admodum multis, imo, quod ad genuinum eius vſum et elegantiam attinet, pluribus habetur fere incognita. Mores igitur noſtri ſunt a Conringianis illis paullulum aut fortaſſe longe alieni. Melioresne autem iisdem? Non habeo equidem dicere. Vituperandine? Neſcio; ſaltem laudandi non, quod expertus ſcio. Latino enim ſermone vti nemo carere prorſus vere doctus etiamnum poteſt, qua in re peritiſſimus quisque mecum conſentit; ita iuuenum tamen ſegnities tantum ſubinde praeſidii adepta eſt, vt non pauci vix leuiter tincti Latinis litteris hodie auſint ad Academias excurrere, vtpote quibus non valde indigere ſe credunt, quum poſſint omnia ibidem diſcenda theotiſce, ita enim aiunt, audire, ac, ne fallantur tamen hic ſubtimeo, percipere.

68) Id autem vere adhuc tenendum eſſe, quis auſit dubitare, quamuis omnia fere in Academiis Germaniae plurimis hodie a doctoribus et magiſtris theotiſce tradantur? Quis enim phi-

quo possis doctrinae melioris academicae fieri particeps. Quando et alius linguae, qualis vtique est Graeca, imo et Ebraea, magisterio licet praeclaro addiscere, etiam illius notitia inter elementa eruditionis addiscenda fuerit. Harum tamen linguarum cognitionem aeque ac Latinae necessariam non esse discentibus quibusuis, palam est, idque quoniam hac quidem tempestate, et in hoc orbe Europaeo, prae omnibus linguis sola Latina ad quamlibet omnino doctrinam accipiendam solet adhiberi, Graeca [69]) et Ebraea ad pauca. Quandoquidem vero Academiae studiis sunt dicatae neutiquam triuialibus, saltem illa necessaria Latinae philosophiam penitius cognoscet, si penitiore sermonis certe Latini cognitione careat? Quis sanctioribus litteris, quis iurisprudentiae, quis medicae arti feliciter ac cum fructu ex sententia vbiuis operam impendet suam, si ne primoribus quidem, vt aiunt labris Latinas litteras degustauerit? Quantum enim harum litterarum inscitiae in multis contemtum suum partim iam vindicent, partim et vindicare magis in dies incipiant, in eiusmodi hominum ineptorum exemplis saepe obuiis comperitur.

69) Neque Graeca potest vnquam quisquam eiusque vberiori supersedere cognitione, qui oculis videre suis sua in arte quacunque capit, neque ob supinam eius neglegentiam turpiter multis modis haerere vel caeca quasi fide aliis plerumque adstipulari. Atque ridiculum prope est, medicos esse ac philosophos hodie, qui Graeca iuxta cum ignarissimis ignorant.

tinae linguae peritia isthuc afferenda est, non autem in academiis demum addiscenda.

Propemodum quae linguae Latinae eadem est ratio Logicae: non quidem omnibus numeris perfectae (haec enim raro cadit in iuuenilem aetatem) rudimentorum tamen eius[70]). Prudenter sane Aristoteles: ἄτοπον, ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης; non debere simul discere artem aut modum sciendi et ipsam scientiam. Cum in academiis igitur scientias addiscere oporteat, ars sciendi (haec vero est quam nunc Logicam appellamus, consuetudinem secuti) saltem quantum ad rudimenta attinet, praemittenda fuerit. Hactenus scilicet inseruit Logica omnibus omnino academicis studiis. Quod si tamen quis studiis quibusdam accuratioribus velit animum appellere, erit consultissimum, quoad fieri potest afferre accuratissimam Logicae, cum primis vero Analyticae partis, cognitionem[71]). Impossi-

Logicae rudior peritia itidem est elementaris.

bile

70) Non incommode, mea quidem sententia, huc facere queat libellus, quem Iacobus Facciolatus, eximium Academiae Patauinae decus, Latine ac more suo elegantissime scriptum edi curauit. Inscribitur: Logicae Disciplinae Rudimenta ex optimis fontibus ducta, et Latine explicata; Venetiis A. CIↃ IↃCC VIII. 8.

71) At enim optime quemquam consulturum sibi nunc fore, arbitror, si antea Ernestii, Viri primarii et incomparabilis initia doctrinae solidioris, quae semel, iterumque, ac tertium

bile meo quidem iudicio eſt, maioris momenti ſcientias et in primis ſubtiliorem quamque philoſophiam, velle aſſectari, niſi analyticae fueris probe peritus. Quantum ſane defecerit haec peritia, tanto infelicior et incertior erit ſcientiae cuiusuis tractatio. Haud equidem negauerim, magnam in nonnullis vim eſſe natiuam iudicii, quaeque adeo defectum illum artis queat ſupplere: attamen rarum eſt illud naturae beneficium, et ſic quoque ſaepenumero fallit, nec ſolet temere ad ea, quae difficillima ſunt, pertingere [72]). Argumento ſunt, quae interdum a magnis quoque viris, ſed minus probe hac in parte πεπαιδευμένοις ſcripta edun-

tur:

imo quartum nuper Lipſiae A. CIↃ IↃCC L. lucem viderunt, cognoſcere penitius ſtudioſiusque potuerit.

72) Neque profecto multum efficiet quisquam, etiamſi diuinis ſit prope a natura ingenii dotibus exornatus, niſi eam ipſam artem penitius edidicerit, quam Cicero iam, diſertiſſimus Romuli nepotum, egregie admodum commendat, quando de Sulpicio ante ſermocinatus ita: quod nunquam, inquit, effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae doceret, rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera et falſa iudicarentur, et quae quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent conſequentia cet. de Claris oratorib. cap. XXXXI, p. 279.

tur: in quibus ἀποδεικτικόν τι raro, aut vero ita permissum dialecticis probationibus inuenias, vt liquido appareat, illos demonstratiuam et probabilem collectionem discernere haud sciuisse [73]). Vno verbo; rudior Logicae peritia debet merito numerari in ordine Elementaris doctrinae illius, quae omnibus academicis studiis inseruit, accuratissima opus est scientiis exquisitioribus addiscendis.

Rudior Metaphysices peritia est elementaris.

Proxima Logicae, si vsum communem spectes, rudior quaedam est peritia Metaphysicae: quando quidem in illa disciplina traduntur ea, quae omni enti conueniunt, atque adeo nulla est doctrina, quae non huius egeat subsidio [74]). Occupauerant Plato-

73) Atque id quidem accidisse iis etiam nuper hominibus non rarenter, quis negat, qui praenimio demonstrandi pruritu nihil non audebant vsque ad Schua mobile et immobile hac methodo conficere.

74) Atque id nemo facile negat, qui pretium cuicunque disciplinae suum statuere prudenter didicit. Ideo non defuerunt homines eruditissimi, qui nunc de metaphysices praestantia, nunc de illius vtilitate intellegenter disseruerunt, in quibus Crellius, Lipsiensis quondam professor et Christ. Matthaeus Pfaffius, Theologus eruditionis laude ac parta promeritorum gloria maxime conspicuus. Idem sapienter demonstrat Canzius, Philosophus nuper acutissimus in meditat. philosoph. p. 7. Sin autem aliquibus male audiit, ii qui-

Platonis aeuo Dialectici nonnulla huius nobiliſſimae doctrinae, quia argumenta dialectica ex Metaphyſicis potiſſimum accipiuntur: perinde atque idem patrum memoria fuit factum a Petro Ramo, eiusque aſſeclis: hinc vero a Platone plurimum laudata ſunt ad ſtudia omnis generis Dialectica, cum debuiſſent Metaphyſica commendari, quam ſcientiam primus occupauit Ariſtoteles [75]). Attamen neque Metaphyſicae accuratam notitiam inter *elementa eruditionis* exigo, ſed duntaxat rudiorem: haud neſcius quanta ſit doctrina illius in quam multis ſubtilitas quamque eius notitia ſuperet captum iuuentutis, et litibus ſerendis inſeruiat.

Non ita quidem, vt priora illa, omnibus promiſcue ſcientiis ſunt communia; ſunt tamen duo adhuc, quae vniuerſim conſiderata communia omnibus, ſpeciatim vero propria ſunt ſingulis. Vtraque, me quidem iudice, apprime ſunt vtilia: imo ſi non vtraque, ſaltem primum, eſt ipſiſſima Ariſtoteli laudata παιδεία ſiue προπαιδεία.

Propaedia cuiuslibet doctrinae eſt illi elementaris.

Dum illam vero προπαιδείαν commendamus, hoc volumus. Anteaquam ad doctrinam aliquam faciat quis acceſſum, debere prius doctrinae eius, ſiue ars fuerit ſiue ſcien-

quidem aut prorſus audiendi non ſunt et fuerunt, aut abuſum certe illius culparunt.

75) Sed conf. in aliis Taurelli Synopſ. Ariſtotelis Metaphyſices. p. n. 6.

scientia, naturam habere cognitam: quodnam scilicet eius sit subiectum, siue circa quod occupetur, quibus principiis tota nitatur, atque adeo quales admittat probationes, quamque habeat certitudinem. Hisce sane probe cognitis, incredibile dictu est, quantos progressus possit discipulus aliquis breui temporis interuallo in omni scientia et arte facere. Ex aduerso si illa προπαιδεία [76]) defecerit, discipulus cauere negauit, ne interdum in alienis occupetur, et praeter propter doctrinam illam, quam discere sibi habet propositum, diuagetur: neue saepenumero ineptis et falsis ratiunculis sese patiatur decipi: atque adeo ne seducatur in errorem, vt existimet, scientiam sese iam consequutum, cum vix summa eius attigerit vestigia [77]). Huc vero etiam hoc facit,

76) Facile igitur ex sententia hac et ipsa verborum explicatione intellegitur, aliter sumi a Conringio παιδείαν seu προπαιδείαν, quam alii solent eandem homines tradere sapientissimi, v. c. Vouerius de polymathia, et Vossius de quatuor artibus popularibus, et qui sunt complures, quos recensere singulos nihil interest. Sunt autem ea, quae, in quacunque disciplina, rectius vt addiscatur, et ordine tractetur capiaturque suo videntur antea, praecipienda, quae nos vulgo praecognita Aristoteles vero τὰ προγινωσκόμενα Lib. I. cap. I. Analyticor. p. n. 460. vocat.

77) In hac quidem caussa saepe adulescentuli delirant, stulta quadam abrepti δοκησισοφίᾳ, quia

cit, quod ſtudioſus nullam ſcientiam, nullam debeat artem aggredi, niſi fuerit ante probe inſtitutus, quaenam ad plenam ſcientiae huius aut illius acquiſitionem ſingulatim ſint quaſi praeambula, et proinde in anteceſſum addiſcenda. Saepenumero de προπαιδείας huiusmodi ſumma, non dicam, vtilitate, ſed plane neceſſitate, verba ad vos feci: O iuuenes, ſcripto etiam non vno illud tetigi. Itaque non eſt, quare nunc quidem operoſe iterum doceamus.

Magiſtrorum, qui voce aut ſcripto docent neceſſaria notitia.

Ad προπαιδείαν vero quadamtenus pertinet alterum illud: nempe notitia eorum, quorum magiſterio propoſita doctrina accipienda eſt. Nec enim niſi paucis conceſſum, ſine magiſtro praeclaram aliquam ſcientiam ſibi ſuopte, quod aiunt, Marte comparare [78]). Quantumuis etiam id nonnulli poſſint,

qua noſſe ſe iam ea, temere credunt, quae vix primoribus labris deguſtarunt, incipiuntque ſimul eo maiori periculo langueſcere, quo maior demum erat opera et quaſi amplior inſumenda.

78) Neque admodum ſunt eiusmodi ἀυτοδίδακτοι, et, ſi qui forte putantur, verius erunt, ſi rem ipſam ſpectes, μωροδίδακτοι. Quantam enim contra iacturam eiusmodi homines veſano plerumque φιλαυτίας errore ſeſe decipientes turpiter rei litterariae inferant, docuere complures, et ex viris primariis Morhofius Polyhiſt. Lib. I. cap. I. a p. 6; Feuerlinus in diſſ. de eruditis ſine praeceptore p. 21; Bergerus de cauſſis iacturae rei Litterariae a p. 49; Vollandus in diſſ.

possint, haud dubie tamen illi et facilius et tutius et plus profecerint ab aliis adiuti [79]). Quoniam autem reapse rari sint

nantes in gurgite vasto,

plerique autem indigeant alienis praeceptionibus, facile apparet, tantum non omnibus id operam esse dandam, vt cognoscant per quos in ea eruditionis parte, quam sibi habent propositam, queant maxime proficere. Perinde vero atque in aliis, ita et in hisce spectanda fuerit magistrorum eiusmodi primum facultas, deinde et voluntas. Vtrum scilicet sint idonei docere, deinde vtrum iidem ingenue et sine inuidia, quae recta norunt, docere velint. Vtrumque sane

 requi-

diss. de solidae eruditionis subsidiis a §. 4; Henr. Iul. Scheurlius in Statua Mercurii cap. III. a p. 68, et alii, quos recensere singulos nominatim nihil interest.

79) Atque id quidem etiam intellegenter et curatius praeceperunt in aliis Viri, modo quos laudauimus, eruditissimi Morhofius, Feuerlinus, Scheurlius, Bergerus, Vollandus cet. quibus subiungere facile complures liceret, nisi res adeo esset per se clara, vt dubiae sit sanitatis oporteat is, qui dubitare de hac quidem re vel etiamnum audeat. Quinimo testantur id ipsum exempla eorum cuiusuis aetatis omnium, qui vnquam eruditionis laude floruerunt, se demum a fidissimis magistris adiutos eo deuenisse. Contra enim si qui forte suo temere periculo adoleuerint, ii vesana plerumque alere praeiudicia, et suam quoque vbiuis tantum non solent stultitiam prodere.

requiritur in magistro studiis commodo. Alterutrum si desit, neutiquam ab illo iustum studiorum fructum quis sibi comparauerit.

Scriptores optimi sunt cum primis praecognoscendi.

Quum magistrorum autem alii viua doceant voce, alii libris conscriptis: dubio procul illorum in animis mouendis vis est potissima: eoque et hactenus hi quam maxime sectandi, si probe sese habeant. Ceterum ab illis quasi mortuis multo plura et minore sumtu discere est. Ac proinde non viuorum duntaxat, sed illorum etiam, quorum scriptis possumus instrui, et horum quidem quam maxime, notitia erit comparanda, quasi in προπαιδείαν cuiuslibet disciplinae [80]). Quo consilio ductus ego, nullum temere

80) Possem hic latius quidem excurrere, si volupe aut spatium foret. Interea praeceptio sane haec ob geminam certe dotem se maxime commendat. Ex vna enim plurimum confert ad quamcunque disciplinam rectius tractandam ornandamque vberius, si quis proba sit intellegentiorique bonorum et vtilium librorum notitia instructus. Ex altera vero deinceps, studium, vt expertus obseruat Ludolfus, nullum magis quam quod in historia litteraria, et notitia inprimis librorum et actorum inter eruditos collocatur, potest hominem abducere a scientiae arrogantia, ita, vt quo quis plus didicerit, tanto minus scire se intellegat; cf. Vita Ge. Melch. a Ludolf, quam Heumannus, magnum decus, edidit Gottingae A. CIↃ IↃCC XXXX. p. 72. cf. p. 28. Idem agnouit cum aliis du-

dum

temere fui in docendo argumentum aggreſſus, niſi praemiſſa ingenua et candida diſſertatione de iis auctoribus, per quos, meo quidem iudicio, quam promtiſſime liceat illam doctrinae partem capeſſere. Multo vſu expertus, ita quemuis iuuenem quam optime ad ſingulas doctrinae partes quaſi manu poſſe duci.

Ceterum optimos quosque ſcriptores dignoſcere atque diiudicare, non eſt, fateor leuis operae: neque praeſtari poteſt, niſi ab eo, qui iam ſubacto in ipſo illo doctrinae genere eſt iudicio [81]): quale non ſolet *Quomodo fieri id poſſit.*

 eſſe

dum Leibnitius, qui eum in finem arridere ſibi maximopere Polyhiſtorem Morhofianum teſtatur in otio Hanouerano p. n. 74.

81) Rectius id vero noſſe, ſemper non admodum multis contigit. Diligentem enim a teneris inſtitutionem, lectionem ad complures annos multiplicem, vſum, vt ſic loquar, vbiuis ocularem, et iudicium ſubinde prudentius firmatum requirit. Quod ſane pro ſaeculi noſtri, morumque mollicie, ac laborum fuga, eſſe modo perpaucorum ſolet. Magnum autem etiam ab eo tempore incrementum cepit hiſtoria litteraria, ex quo Conringius iſthaec ſcripſit. Quanta enim non fecerunt poſt Morhofium, Lambecii, Schurtzfleiſchii, Reimmanni, Struuii, Fabricii, Buddei, Gundlingii, Loeſcheri, Stollii, Menkenii, Heumanni, Baumgartenii, Ioecheri, Kappii, Pfaffii, Buderi, Walchii, vt complures alios ſilentio praetermittam? Via tamen quodammodo difficilior

esse tenerioris aetatis, vel certe non nisi rarissime. Non tamen est, quare hanc notitiae comparandae spem quamuis iuuenis abiiciat. Varii scilicet sunt notitiae gradus. Vt ἐπιστημονικὴ (liceat ita nunc loqui) superet iuuentutis captum, par tamen etiam illa aetas est comparandae notitiae δοξαστικῆς: quae scilicet innititur auctoritati talia vere scientium sapientumque. Commodum itaque fuerit praeclarissimorum quorumuis doctorum, cum viuorum tum mortuorum (vt ita loquar) iudicia et censuras de cuiusuis generis scriptoribus, magna cura et inquirere, et annotare [82]): donec maturior aetas suapte trutina vti concesserit. Quae opera et leuis est et iucunda: quod meo exemplo possum

ficilior reddita est adulescentulo, quatenus coenam fere dubiam nec dubiam sibi vbiuis paratam videt, et vbi periculum est, ne fallatur saepius, nisi ducem viae deligendae sequendaeue peritiorem, et fidum omnino inuenerit. Sermo enim mihi est, de adulescentulo doctrinae solidioris vere cupido, cum probe sciam, plurimos non tam de comparanda doctrina solidiore, quam de pane aliquando inueniendo parandoque cogitare, deque illo esse inprimis solicitos, et esse iuberi.

82) Ita enim homo bene quidam sentit et loquitur, qui ceteroquin audit male ac praecipit, cuius addere tamen nomen nihil interest: qui literario comitatu instructus est, is feliciter ad altiora contendet, hoc qui fuerit destitutus nunquam ad solidae eruditionis fastigium perueniet.

possum bona testari fide [83]). Sed in hac προπαιδείας parte, vt et in aliis quae tacta a nobis sunt, fortassis iusto diutius haereo.

Praelimitarium doctrinarum singularium necessitas.

Non equidem existimo *Elementis eruditionis* illis quae requisiuit ad Acroamaticas disciplinas Aristoteles, accensita esse ea, quorum notitiam nonnullae scientiae atque Artes priuatim quasi sibi postulant, ceu praeliminaria. Certum tamen est, quod sine iis haud liceat iusta felicitate in quam multis disciplinis progredi: ac proinde omnino, vt plenus studiorum fructus accipiatur, ordinem istum esse obseruandum: vt nempe non nisi probe iacto in praeliminaribus istis fundamento, ad quoduis doctrinae genus procedatur. Sed quaenam talia sint, vel, vt clarius loquar, quaenam praemitti debeant diuersi generis disciplinis, id docere nimis fuerit operosum: certe haec panegyris neutiquam permittit. Et vero nunc quidem satis est saltem hoc significasse.

De moribus cuiuis studio aptis.

Superest vt et Quintum requisitum expendamus. Quibus scilicet *moribus conueniat*

83) Quodsi autem ex sententia Plinii, et quidni ex ipsa veritate, sapientis est, optimum quemque in exemplum sibi proponere, tirones certe in Conringio praecipue dignum, quod imitentur, quodque sequantur exemplum habebunt. Neque de memet nego

Si magnis aliquando licet componere parua

hisce me insistere vestigiis ac praeceptionibus ab annis pluribus fideliter consuesse.

niat esse eos, qui studiorum Academicorum fructum desiderant. Et vero queat videri hoc postulatum valde intempestiuum [84]): mox tamen, nisi fallor, liquido patebit, non prudenter duntaxat, sed in tempore simul etiam, quando nimirum integrum adhuc est, quodnam velis studiorum genus amplecti, id ipsum attendendum. Vt de moribus autem recte iudicetur, necessum est, comparationem eorum cum virtutibus et vere moralibus, et quas homileticas appellamus, instituere. Non enim et virtutes sequioris ordinis non sunt attendendae: praesertim quum ingens earum ad vitam ciuilem sit momentum, imo si videas eos quibuscum est vulgo conuersandum, quum homileticae virtutes prae ipsis veris virtutibus moralibus soleant quam maxime aestimari. Nos initio spectabimus virtutes veras, deinde et homileticas.

Mores, qui ab omni studioso requiruntur.

Igitur in vniuersum omnem omnino studiis Academicis consecratum, neutiquam volu-

84) Non sane intempestiuum, vt opinor, vnquam, neque istud hac nostra, qua viuimus, aetate, ne locum ea forte inueniant, quae acerbius ita Camerarius: Ac veniunt sane vndique, ne nostram adulescentiam solam accusari arbitreris, ad nos feroces plurimi, ac male morati, cui malo vtinam ciuitates singulae mederi studerent, in Epist. Lib. III. p. n. 219. Huic vero caussae optime inseruient etiam libelli duo Christii τῦ μακαρίτυ, quos supra laudauimus.

voluptatibus et intemperantiae, aut etiam ſegni otio deditum eſſe oportere, iam tum demonſtrauimus. Si ſane omnis ille debet eſſe φιλομαθὴς, ſi φιλόπονος (debere autem eſſe, iam tum docuimus) ſaltem otio aut intemperantiae, conſequens eſt, neminem illorum debere eſſe immerſum [85]). Non par eſt ratio ambitionis et φιλαργυρίας. Nec enim haec vitia prohibent, quo minus aliquam ſtudiis operam impendas in vita academica. Quinimo nonnullis haec ipſa vitia eſſe pro calcare ſolent, ad diligentiam, ſaltem iſtis ſtudiis impendendam, quae aliquando ad honores et diuitias poſſint aditum praeparare. Et quidem ſi absque eo ſit, quidam nec vllam velint ſtudiis operam collocare [86]).

Ambitio et φιλαργυρία quid permittant in ſtudiis.

Quamuis autem ita ſeſe res habeat de ſtudiis nonnullis, neutiquam tamen illud ad omnia trahendum, imo nec ad ipſorum ſtudiorum lucroſorum exquiſitam vndique cognitionem. Quoniam ſtudia videlicet mere ſterilia ne quidem excoli vel tenuiter ſoleant ab iis, quorum animos honorum et pecuniae cupido obſidet: illa intellego, quae,

vt

85) Quinimo pietatis ſedulo genuinae eſt, et honeſtatis, et doctrinae amplificandae habenda ratio.

86) At ſordida eiusmodi et inquinata ingenia, vti Cicero vocat, nec ſane liberalia, eſſe potius videbuntur a ſtudiis honeſtioribus arcenda, quam admittenda.

vt vulgus loquitur, non faciunt ad farinam [87]). Etsi enim iure dixeris, qui isthoc sunt animo dignos esse, vt farinam baiulent; κατ' ὑπόθεσιν tamen vitae, imprudenter illi studiis dent operam, quae aliquando nec ad opes possint iuuare, nec ad honores. In vniuersum porro non patiuntur haec morum vitia, vt solidam vllam eruditionem, cuiuscunque etiam fuerit generis, tibi compares. Et vero solent opes et honores a solis vel mediocriter eruditis, vel tandem dimittentibus sese ad sola quaestuosa, parari: solide doctis raro ad isthaec quidem conceditur auditus [88]). Vnde consequens est, saltem illos quibus propositum est per Studia non nisi ditescere, vel emergere ad honores, atque adeo qui sunt moribus ambitione et φιλαργυρίᾳ infectis, illos inquam neutiquam studia quaelibet, aut eruditionis excellentiam posse aemulari.

Etiam

87) Id est ad panem lucrandum, et acquirendas facultates, veluti est apud Aristoph. νεφ. vs. 648. p. n. 167. τί δὲ μ' ὠφελήσουσι οἱ ῥυθμοὶ πρὸς τἄλφιτα.

88) Imo si hoc agendum nunc in primis esset, facile possem integram eorum conficere bibliothecam, qui eruditionis praestantia, et gloria promeritorum excelluerunt; possem eosdem ab antiquissimis ad nostra vsque tempora deducere, quibus comes paupertas fuit perpetua. Est reapse tamen sapientia omnibus diuitiis potior, aut diues vere nemo, nisi qui sapiens.

In Academiis ſpectandum qui mores contemplatiuae, qui practicae vitae conueniant.

Etiam atque etiam porro obſeruandum eſt; poſt academica ſtudia ſubſequi ſolere duo diuerſa ad modum vitae genera: contemplatiuum alterum, alterum practicum. Cumque ad alterutrum faciat quaſi aditum academia, iam tum ſtatim in academiis attendi debere id, quod iam non ſemel indicauimus, cui vitae generi poſt relictam academiam dedere ſeſe ſtudioſus academicus velit. Etiam ſane hac quoque de cauſſa ſpectandi fuerint mores ſtudioſi iuuenis. Vtrum ſcilicet illi vitae aliquando agendae conueniant. Nec vero admittit vita vtraque eosdem mores: ne quidem ſi illos exigas ad normam verarum virtutum moralium, multo minus ſi cum homileticis contendas. Ineptum autem fuerit ſtudia academica illi vitae addicere, quam mores non facile ferunt, multo minus ii, qui ab iſthac vita plane ſunt alieni. Hoc enim fuerit in academiis tempus et operam perdere, atque adeo diſcere mox dediſcenda.

Vitae contemplatiuae mores.

Contemplatiua porro eruditi hominis (nam de vno illo nunc loquor) vita non conſiſtit duntaxat in ſolis ſtudiis Theoreticis, ſed etiam in quibusuis Practicis et operatiuis, modo tu nolis illa reapſe exercere, ſola eorum notitia contentus, ceu veri ſolent philoſophi. Haec vita admittit ſanctiſſimos mores: nec enim veritatis contemplatio vel occaſionem praebet vlli morali vitio: tantum abeſt, vt cultorum quemquam ad vitium aliquod eius

gene-

generis incitet. Veritatis, inquam, contemplatio id non facit. Attamen etiam hoc in hominum genere, nonnulli non veritatem sed gloriam affectant; ideoque sese solos, supra quam decet, efferunt, alieno autem nomini inuident, et per calumnias detrahunt [89]). Vt proinde etiam studiosis summe Theoreticae vitae alicuius haud liceat vnde quaque omnia felicia promittere, nisi demum iis, qui moribus sunt ab ambitione [90]) ac fastu alienis.

Mores vitae practicae.

Magis adhuc morum ratio habenda est circa eos, qui vitam affectant Pragmaticam. Hac parte nempe ita est comparatum, vt quaedam negotia ne admittant quidem mores

89) Quod in pusillis plerumque ac proiectae indolis animaduertitur ingeniis, aduersus quos non raro id comperitur verum, quod Gregor. Nazianzenus in inuidos carm. III. apud Tollium insig. itiner. Italic. p. n. 82. queritur:

Ἐξ ὧ θεῷ προσῆλθον ἐκλιπὼν βίον
Πολλαῖς τροβῆμαι καὶ κακαῖς τρικυμίαις
Αντιπνέει γὰρ ὁ φθόνος
Πόθεν φίλοι μοι δυσμενεῖς, καλοὶ κακοί; κ. λ.

90) Est miserrima omnino ambitio, honorumque contentio, veluti rectissime praecipit Cicero offic. Lib. I. cap. XXV. p. n. 435; vnde planissime ad hanc caussam alter Christianorum Cicero scribit Institut. diuin. Lib. V. cap. XV. p. n. 648. In vita hac saeculari quoniam breuia et caduca sunt omnia, et praeferunt se alteris homines, et de dignitate contendunt, quo nihil foedius, nihil arrogantius, nihil a sapientis ratione semotius.

res vndequaque honeſtos: pleraque admittant quidem, ſed tamen facile deflectant animos in vitia, niſi ſtudioſe ea caueas. In quibus tamen itidem eſt haud leuis diuerſitas. Prioris generis ſunt nonnulla, quae gerenda veniunt in rebus publicis illis, quae per bonas artes adminiſtrari nequeunt, cuiusmodi ſunt exempli gratia tyrannides. Qui ad illa igitur negotia appulſuri ſunt animum, moribus bonis praediti eſſe nequeunt, ſed ſaltem ἡμιπονηρὸι ſint oportet etiam ex ipſiusmet Ariſtotelis ſententia [91]). Quam rem latius perſecuti ſumus libro de Ciuili Prudentia. Ne in aliis animus patiatur ſeſe in deuia abripi, opus eſt; adſint mores virtute ſubacti, vel ſaltem tales, vt in virtutem ſint proniores, vtque adeo poſſint illi, iuſta adhibita diligentia, in tramite honeſtatis retineri. Quod ſi ſane animus fuerit leuis, aut cupidus per fas et nefas in altum ſe leuandi, non eſt dubium, praebita occaſione, hominem illum officio, ſalua honeſtate, haud functurum. Adeoque cum Hippocrates ſtudioſe cautum voluerit, ne quis ad Artem Medicam diſcendam temere admittatur, niſi perſpectae probitatis, multo maxime in aliis Practicis hoc obſeruandum

91) Poſſit ad haec forſan quispiam haerere, inde rectius ipſum adibit Ariſtotelem docendus, qui mentem explicet ſuam Politic. Lib. V. cap. XI. p. n. 381; it. ad Nicomach. Lib. VII. cap. X. p. n. 301.

uandum fuerit: quia nempe prae aliis Ars illa raro dat aliquod ad vitia incitamentum. In vniuerſis ſane Practicis plerisque vt et Artibus habet locum Hippocratis illud [92]): τὰ ἱρὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνηται, βεβήλοισι δὲ, οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν [93]) ἐπιστήμης. *Quae ſacra ſunt negotia ſacris hominibus oſtendantur, profanis autem fas non eſt, priusquam ſint initiati orgiis ſcientiae.* Haec cautio ſane tanto maiore cura haud dubie erit obſeruanda, quo praxis aliqua ſanctior eſt, et proinde ſanctiores mores exigit. Et vero ea eſt practicorum munerum diuerſitas, vt aliis plus aliis minus virtutis debeatur, imo aliae atque aliae virtutes ſint maxime conuenientes.

Qui mores homiletici conueniant ſtudiis et theoreticis et practicis.

Non patitur hic locus etiam hoc argumentum pro dignitate exſequi: itaque nunc tantum addemus aliquid de moribus homiletici [94]). Hi mores quemadmodum ſeſe habeant

92) In libello, qui Νομος inſcribitur, oper. T. I. p. n. 42. Edit. Linden.

93) Quae ὄργια quidem ſint Hippocrati, ea explicare non indiligenter, puto, Meibomium in Comment. ad iusiurand. Hippocr. a p. n. 104.

94) At enim ſuper his egregie, vt ſolet, etiam differit, copioſeque Morhofius in Polyhiſt. T. I. Lib. I. cap. XV. a p. 164; cf. Lilienthalius in Select. hiſtoric. et Litterar. obſ. III. a p. 53; quem vtrumque conſuluiſſe, hac in cauſſa, virum eruditiſſimum et legiſſe, poenitebit, vt opinor, neminem.

beant in iis, qui mere contemplatiuam et philoſophicam vitam amplexuri ſunt, non adeo multum intereſt: quoniam conuerſationi paruum ſtudebunt, quae quam maxime homileticis virtutes exigit. Quin tamen etiam hos ornare poſſit modeſtia et humanitas, moroſitas vero et faſtus iis quoque ſit indecens, vacat omni dubitatione. Longe alia autem et accuratior morum ratio obſeruanda eſt in futuris Pragmaticis. Ad illam nempe vitam plurimum refert qua ſis in ſocietate morum indole. In vniuerſum enim, et nimis elato pariter et nimis abiecto eſſe animo ineptum eſt. Nec enim ferimus facile ſuperbos: abiectos autem contemnimus: itaque neutri ad res practicas expediendas ſunt idonei. Enimuero ad egenda ciuilia negotia, imo etiam ad artem medicam faciendam, quam maxime apti ſunt homines alacres, gnaui, erecti, humani, ſuaues, elegantes, et fere quales dici ſolent omnium horarum: ex aduerſo moroſi, difficiles, tardi, rixoſi, meticuloſi, queruli, ſuperciliioſi, humiles, inurbani, agreſtes, haud temere negotia eiusmodi, aut artem quoque medicam, feliciter exercebunt. Ac proinde prioris generis iuuenes bona cum ſpe queunt ad ſtudia iſthaec animum appellere: poſterioris autem qui ſunt ordinis ab illis quidem ſtudiis ſunt arcendi, nec enim vnquam ſunt operae pretium facturi. Tanti ſane fecit hoc etiam ipſemet Hippocrates,

vt cum cura id docuerit tum in libello, quem περὶ ἐυσχημοσύνης inſcripſit [95]), tum in altero opuſculo τῶν παραγγελιῶν [96]). Imo ipſemet ſanctiſſimus Apoſtolus Paullus haud leuiter reſpexit ad has quoque virtutes, quando dixit [97]): *Seruum Dei non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrario ſunt animo affecti, ſi quando det eis Deus forte reſipiſcentiam ad cognitionem veritatis.* Vtinam ſane qui aduerſis ſunt moribus ad eccleſiaſtica ſacra ſtudia haud admittantur! Bene profecto cum humano genere ageretur, et eccleſiae tranquillitati conſuleretur non minus quam populi ſanctimoniae. Verum neque hoc pluribus agere nunc licet: nec etiam neceſſarium fuerit, cum res ſit omnibus notiſſima [98]).

Quan-

95) Sive de Decenti Ornatu Oper. T. I. a p. 52. Edit. Linden. qui egregie ita incipit: οὐκ ἀλόγως οἱ προβαλλόμενοι, τὴν σοφίην πρὸς πολλὰ εἶναι, χρησίμην λ. et dignus omnino eſt, qui non a medicorum tantum filiis, ſed aliis etiam vtilioris doctrinae ſtudioſis diligentius legatur.

96) Siue praeceptionum, Oper. T. I. a p. 60.

97) 1 Timoth. III. a vſ. 2. coll. Tit. I. a vſ. 7. ad quas ſanctiſſimas D. Paulli praeceptiones, poſſunt omnino interpretes videri, quos larga ſufficit manu Ven. Volfius in Curis philolog. et Criticis a p. 437. et 551.

98) Multa dixit ad hanc cauſſam, praeter alios ſexcentos, ſalubria, et praeclara, et erudita

Mos-

Quantum quidem igitur hic locus, et hoc tempus permittit, de ipsis quinque requisitis Academici studiosi iam dictum est. Licet igitur fortassis iam in his acquiescere. Vt tamen in rem eo facilius omnia queant referri, addemus nonnihil etiam de omnium illorum requisitorum in Studiosis iuuenibus instituenda indagatione. Quemadmodum nempe illa queant intellegi, vt et per quos quam tutissime fieri possit examen. *De Requisitorum inquisitionis indagatione.*

Quid Pythagoras sua in schola egerit haud fuerit abs re heic recitare ex Caluisii Tauri, magni suae aetatis Platonici, A. Gellio auscultante habita dissertatione, quae inserta est Noct. Atticar. Lib. I. cap. VIIII [99]), *Iam a principio adulescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμουει. Id verbum significat, mores naturasque hominum,* *Modus indagandi.*

Moshemius, princeps nuper, cum viueret, Theologus, cum in dissertt. de Theologo non contentioso cet. Helmaest. CIↃ IↃCC XXVI. tum in Comment. de Odio Theologico, Gottingae; CIↃ IↃCCXXXXVIII.

99) Conf. Gellius Lib. XVIII. Noct. Attic. cap. X. p. n. 491. Ionsius de Scriptorib. Histor. Philosoph. Lib. III. cap. VIIII. p. n. 48. vbi de Tauri patria, quum dissentiant eruditi, disquirit. Super ipsa vero Pythagorae ingenia explorandi consuetudine differit pluribus Schefferus, de Natura et Constitut. philosophiae Italicae cap. XII. p. n. 108. sqq. Schilteri Diatr. de disciplina Pythagorica; Lipsiae CIↃ IↃC LV. a §. XX.

coniectatione quadam de oris ac vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari. Eum, qui exploratus ab ipſo idoneusque fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim iubebat. Non equidem ignoro, quantum poſſit ea in re ars Phyſiognomonica: ideoque nolim et ipſe hanc explorandi rationem improbari. Quin imo poſſe in hunc vſum adhiberi etiam illa, quae a Scipione Claramontio [100]) ſunt ſubtiliſſime pariter et prolixe ſatis ſingulari libro de coniectandis cuiusque moribus et latitantibus animi affectibus diſputata, haud equidem dubito. Videntur autem longe promtius et plenius accipi omnia poſſe, facto examine eorum, quae a iuuene aguntur, ſi quando placet eorum inſtituere rigidam inquiſitionem. Fructus nimirum arborem indicat. Igitur ea in re ſatius eſt ſequi ſapientiſſimum Saluatoris praeceptum, de prophetis veris et falſis etiam a vulgo dignoſcendis, maximi vtique

100) Homo eruditiſſimus is fuit, ex equeſtri ordine inter Italos oriundus, qui ſaeculo ſuperiori philoſophiam in Academia Piſana docuit, et pluribus ingenii monumentis inclaruit. Ipſum vero maxime opus hoc commendauit egregium, quod laudat hic Conringius, quodque iterata editione publicauit, ſub titulo: Scip. Claramontii de coniectandis cuiusque moribus, et latitantibus animi effectibus Libri X, cura A. Conringii recenſiti. Helmſtadii A. CIↃ IↃ LXV. 4; conf. Morhofius l. c. T. II. Lib. III. p. 488; et T. III. Lib. I. p. 8.

que momenti negotio, idque ex ſolis fructibus.

Iam porro poteſt illud examen interdum etiam ab ipſis iuuenibus inſtitui: ſi quidem illi compoſito fuerint animo. Id tamen rariſſimum eſt. Solent ſcilicet illa aetate plerumque affectus dominari: et fere in vniuerſum in propriis caeci ſumus [101]), quantumuis alias lyncei. Itaque haec quidem cenſura committi aliis tutius poteſt. Vereor autem, vt ſoli ipſi parentes hoc queant agere. Enimuero nec omnes ſatis ſunt talium periti: nec illos non ſaepenumero in minus apta abripiunt cupiditates, dum liberos nempe volunt eſſe eos, quales per ingenium, ceteraque requiſita eſſe nequeunt [102]). Vtinam ſemper ſecure liceat fidere futuris magiſtris! Sed tutiſſimum forte fuerit, iudicium hoc omne deferre vni aut pluribus, qui et talia intellegunt, et nihil inde vel commodi expectant vel aduerſi metuunt. Quod ſi ſane plures eiusmodi fuerint ad manum, ſatius eſt multos audire, quam vnum. Notum eſt, ipſummet Pythagoram, Hippocratem,

Quinam examen deberant instituere.

101) Quae vero caecitas cum δοκησισοφίᾳ infeliciter coniuncta, et damnoſa plerumque iuuenibus maxime in academiis eſt, et per omnem deinde vitam temeritatis ſtultitiaeque veſtigia peritioribus animaduertenda propinat.

102) Neque profecto exigua redundant ad rem publicam incommoda ex erroribus, qui parentum ſubinde culpa inſcitiaque committuntur.

cratem, Ariſtotelem, aliosque veterum, non refugiſſe hunc laborem: etſi nulla docerent mercede, atque adeo haſtenus incorrupto valerent iudicio. Quantum praeterea noceat hodie academicae iuuentuti illius examinis neglectus [103]), loquuntur, imo clamant iacturae operum et ſumtuum in quam multis, ne alia hinc enata grauiora incommoda nunc attingam. Faxit Deus, vt ſaltem in poſterum omnia in ſcholis et Academiis ſtudia in Diuini Numinis gloriam, eccleſiae et reipublicae ſalutem, et propriam denique ſtudioſi cuiuslibet vergant felicitatem.

103) Imo vehementer nocet; quum aufugiant adulescentuli e ſcholarum ſubſelliis prorſus inueſtes, et cruda maxime ad academias ſtudia propellant, ſibi vero et aliis iudiciorum ſuorum imponant, noceantque infantia maximopere.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Conring, Hermann,

Super requisitis in quolibet studioso academico libellus

Vratislavia 1762
H.lit.p. 83 r
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10731767-7
VD18 14892049-001